
TRAGEDI·SEN·EC

Regiomonti 9 April: 1552

Dum mihi tam magnus late peragrabitur orbis
Hoc tibi perpetui pignus amoris erit
Exiguum fateor, sed tu charissime Grebsi
Quantulacumque animo dona metire meo.

I. K.

Sarcel Poesi

L. ANNEI SENECAE CORDVBENSIS tragœdiæ X.

Quæ non solum scholis, ut uulgo persuasum est, sed etiam in concionibus publicis & de magnis rebus consultantibus, utilissima sunt. Est enim in Tragœdia clarissimè uidere quibus modis uel casus, uel fortunà, uel fata instabiles incertasq́ res humanas uersent.

Accesserunt ex peruetusto exemplari argumenta, uel potius cōmentaria, quæ omnium actuum dispositionem indicant, id quod omnem difficultatem in hoc autore toll

BASILEAE APVD HENRICVM PETRVM.

EX LIBRO TERTIO PETRI CRINITI DE POETIS LATINIS, SENECAE VITA.



Vcius Anneus Seneca natione Hispanus, patria Cordubensis fuit: inter eos poëtas refertur, qui Tragœdias scripserunt, ut Pacuuius, Accius, Attilius, & Pomponius Secundus, qui eadem ætate claruit, & cum ipso Seneca paribus studijs uersatus est in faciendis Tragœdijs, ut Fabius Quintilianus testatur, in magno pretio habitus est, & ob elegantiam ingenij plurimum cõmendatus. Scripsit Tragœdias decem, in quibus propter sublimitatem carminis, grauitatemq́; sententiarum, non uulgarem laudem consecutus est: etsi tempora illa, in quæ incidit, magna ex parte aduersa extiterunt melioribus disciplinis. In suis fabulis Euripidem, atq; Aeschylum traditur imitatus; quæ res facile intelligetur ab ijs, qui paulo diligẽtius eas obseruabunt. Qui scribunt poëtam hunc filium fuisse Annei Senecæ, qui in Stoicorum disciplinis magnopere claruit, coniecturis tantum nituntur, neq; hanc rem, ut ego existimo, ullis autoribus asserunt. Minime aũt dubiũ est, duos fuisse Senecas,

2

quorum alter in philosophiæ studijs præclarus, atq; excellens habitus est. Itaq; diuus Hieronymus propter egregiam illius probitatem, singularemq́; uitæ cōstantiam, ut puto, inter autores Christianos collocauit, quæ res optimis rationibus, & antiquis scriptoribus probatur. Val. Martialis duos celebrat Senecas, & unicum Lucanum ex eadem Corduba. Sidonius Apollinaris in suis poëmatis sic de Anneo Seneca scribit ad Felicem eo carmine, in quo de latinis poëtis disserit:

Non quod Corduba præpotens alumnu-
Facundum ciet, hic putes legendum.
Quorum unus colit hispidum Platona,
Incassumq́; suum monet Neronem.
Orchestram quatit alter Euripidis
Pictum fecibus Aeschylum secutus.
Aut plaustris solitus sonare Thespim.
Qui post pulpita trita sub cothurno
Ducebat olidæ patrem capellæ.

Ex hijs manifeste colligitur, quid existimari debeat de utroq; Senecæ præcipue quod elici potest ex Octauia eiusdem Tragœdia, in qua Neronis scelera, & crudelissima flagitia copiose enumerantur. Grammatici ueteres uidentur maximi fecisse præter cæteros omnes Pacuuiū, & Acciū in scribēdis Tragœdijs, ut alibi diximus. Non me præterit quàm multa scripta sint de hoc Seneca à

Xicone Poletano, ſed is mihi uidetur abuti ſua diligentia, & aliorum iudicium contemnere, qui tam anxie defatigatur in re minime dubia explicanda.

DIMENSIONES TRAGOEDIARVM SENECAE PER HIERON. AVANTIVM.

Verſus Senarij uel trimetri iambici ſunt archilochij omnes & acatalectici apud Anneum Senecam Tragicum, & hanc ſolidam legem ſeruant, ut quamuis ſedes ſecunda, quarta, & nouiſſima ſeruiant uni iambo, ſecunda tamen, & quarta non repellunt tribrachum iambo comparem.

Primus aūt pes ultra iambū recipit ſpondeū & ſpondei diſſolutiones, id eſt, dactylū, anapæſtum, & aliquando proceleumaticū, tribrachum uero, qui par eſt iambo, in hac prima ſede admittunt uerſus unus ſupra uiginti.

Tertia ſedes admittit iambum, ſpondeum, dactylum, tribrachum, nunquam in hoc tertio loco inuenies anapæſtum præter hunc uerſum ſcilicet:

Inter ſenem iuuenemq́;, ſed propior ſeni,

niſi dictio inſit quatuor ſyllabarum, quod accidit uerſibus uiginti.

Quintus locus, ut sæpißime, imò semper, habet aut spondeum, aut anapæstum, ita nunquam, utitur tribracho: iambum uero, & dactylum nunquam assumit, nisi in nouem uersibus, quorum ultimæ dictiones sunt quatuor syllabarum, scilicet nepotibus, cacumine, Prometheus, Capharides, Polyxena, facinorum, & ter memoria.

Senececæ igitur trimetri non cacometri, sed omnes probabiles appellantur à Victorino & Terentiano, cum præsertim in nulla sede reperiatur trocheus, aut pyrrichius, & cum ubique deuitet scazonta, cumq; nullus uersus constet ex iambis omnibus, ut Tragicorum lex præscribit.

ARGVMENT. TRAGOEDIAE, QVAE IN SCRIBITVR HERCVLES FVRENS, ARGVMENTVM.

Continet hæc prior tragœdia querelas Iunonis, & indignationē contra pellices Iouis mariti sui, simulq́; contra Herculem ex pellice natum. Continet & Megaræ fletum ob coniugis Herculis absentiam, & ob tædia minasq́; Lyci: quippe qui Creonte rege & filijs occisis, Thebanum imperium occupauerit, eiq́; uim pariter inferre tentauerit. Mox ab inferis rediens Hercules, cognitis quæ fecerat Lycus, incedentem illum ad sacrificandum, ob partum regnum, interficit, sed sui in Herculem odij Iuno minime etiam adhuc oblita, iußit ut is furore corriperetur. Quo actus misere Hercules coniugi & liberis uitam eripuit. Postremo mente resumpta, illarumq́; cædium cognito autore, sibi pariter & manum intulisset ultro, ni genitoris sui piæ preces intercessissent.

a 4 TRAGOE-

TRAGOEDIAE, QVAE INSCRIBITVR THYESTES, ARGVMENTVM.

Cogit, excitatq; ab inferis Megæra ex furijs una Tantalum olim Phrygiæ regem ad odia commiſcenda inter duos fratres, Thyeſtem & Atreum nepotes eius, qui Mycenis alternis annis regnauerant. At Atreus furijs agitatus, conſilio cum ſeruo inito, delibe[r]a[uit], quo pacto uindictam de fratre ſumat, quod dolis Aeropen ſibi coniugem conſtuprarit: quodq; arietem aurei uelleris ſubripuerit. Igitur ab Atreo ſimulata reconciliatione Thyeſti reuocato Mycenis & inſcio apponuntur in conuiuio ſui filij epulandi. Poſtremo cum etiam ſanguinem illorum patera propinaſſet Atreus, iuſsit demum afferri capita. Queis uiſis & agnitis diſſlet quidem Thyeſtes, ſed Atreus, quod uindicta proceſſerit oblectatur.

THEBAI-

ARGVMENT.

THEBAIDIS TRAGOEDIAE DIMIDIATAE ARGVMENTVM.

Oedipus ſoluto ænigmate, Sphingis beneficio, ac interfecto parente, Thebarum potitus imperio, necnon & Reginæ genitricis matrimonio: ut demum paricidium, & inceſtum cognouit ſuum, ſua ſibi manu effodit oculos. Is igitur Oedipus filiam rogans inducitur, uti parentem deſerat errabundum, nam ea ſibi capto oculis ſemitam prætentabat. Parantur mox bella inter utrunque Oedipodis filium, Entheoclem ſcilicet ac Polynicem. Ad quæ ſedanda pergit mater Iocaſta, rogans, ne inter ſe, ſed in ipſam arma ſuſcipiant: ac demum utriq; exercitui ſuadet, arma deponant. Cæterum cum deſint Chorus & Actus poſtremus, Tragœdia hæc imperfecta exiſtimatur.

TRAGOEDIAE, QVAE INSCRIBITVR HIPPOLITVS, ARGVMENTVM.

Hippolytus Theſei & Antiopæ filius, cum animo

insedisset omni se uoluptatum lenocinio abdicare, uenationi tantum intētus uitam ducebat cœlibem, & à mulierum blandicijs alienam. Sed Phædra nouerca eius priuigni forma, ætateq; illecta, & amore uesano correpta, & mariti absentia animata, ac demum dolore deuicta, & ægritudine causata, uulnus iuueni detegit, & inuitat ad Venerem. At cum se sentit à priuigno acrius increpari, & cupitos amplexus pertinaciter denegari, infensa ilico & amoris oblita, Hippolytum insimulat Theseo ab inferis redeunti, ceu is eam liquido interpellarit. Igitur adolescens patris declinans furorem inscēnso curru distrahitur atque discerpitur ab equis suis, à Phocis exterritis, quos immiserat Aegeus. Postremo Phædra sui facinoris scenam detegens, super Hippolyti corpus misere gladio seipsam conficit.

TRAGOEDIAE, QVAE INSCRIBITVR OEDIPVS, AR-ARGVMENTVM.

Laborantibus pestilentia Thebis, ibiq; tum regnante Oedipode, de quo satis superius in Thebaide consultus Apollo, an pesti remedium foret ullum, responsum tulit, non cessaturam illam, donec Laij interitus expietur, &

tur, & interfector illius plectatur exilio. Cæterum cum interfectoris nomen minime indicasset, ab Oedipode Tiresia uates consulta, pandit, ipsum fuisse Oedipodem, qui regem Laium peremerit. Deprehendens postremo Oedipus coniecturis quibusdam, artis magicæ beneficio uera locutam fuisse Tiresiam, & sibi effodit oculos, & Iocastæ parenti plurimũ id roganti gladio uitam eripuit.

TRAGOEDIAE, QVAE INSCRIBITVR TROAS,

ARGVMENTVM.

Excisa deletaq; Troia Græcis in patriam redire parantibus apparuit Achillis umbra, quem Paris in tẽplo Apollinis interfecerat. Ea monuit, ut manes sui Polyxenæ puellæ regiæ uictima placarentur, cuius enixe, dum uiueret, connubium expetebat. Primum igitur Troiæ sæuum defletur excidium: mox ab Vlysse inquiritur Astyanax puer Hectoris filius, ut tollatur è medio, nequid superſit reliquiarũ ad Ilium uindicandum. Reperto demum puero, abductaq; puella, ut refertur à Nuntio, ea quidẽ in Sigeo ad tumulũ Achillis mactatur, at ille præcipitatur è turri.

6

turri. Referuntur autem idcirco, quod horrenda minime actitantur in scena, sed tantummodo recitantur.

TRAGOEDIAE, QVAE INSCRIBITVR MEDEA, ARGVMENTVM.

Medea quondam, cuius apud Nasonem, Diodorum, & Iustinum rite extat historia, queritur in hac septima Tragœdia de Iasonis periurio atq; repudio, in cuius etiam ultionē sæuißime aduocat deos omnes. Mox unius dieculæ à Creonte, qui exiliū illi indixerat, dilatione impetrata, secum deliberat ipsa Medea, ut & ueneficiorum ope Creontis domus incendio absumatur, & filij, quos ex Iasone receperat, ante ipsius parentis ora misere iugulentur. Quæ scelera, ut fœmina scelestißima statuerat, fœde & inhumaniter in calce patrantur.

TRAGOEDIAE, QVAE INSCRIBITVR AGAMEMNON, ARGVMENTVM.

Thyestes olim ille natorum tumulus, nefandis iniurijs ab Atreo germano suo admodum laceßitus, ab inferis re-

ris remeans excitat & hortatur Aegysthum filium, ut propere se accingat ad tantas suæ domus iniurias ulciscendas. Agamemnonis itaque ex Atreo geniti, & in bello Troiano diutius commorantis coniugem Clytemnæstram, ut stuprum clementer inferat, inuadit Aegysthus, quod & iampridem oraculum persuaserat. Illa demum Aegysthi amore correpta, eoq; identidem potita, quo minus adulteri complexus impedirentur, reuersum maritum, nec sibi talia metuentem interficit.

TRAGOEDIAE, QVAE INSCRIBITVR OCTAVIA ARGVMENTM.

Satis constat Octauiam, quæ huic tragœdiæ fecit titulum, patrem habuisse Claudium imperatorem, matrem uero Messalinam filiam barbari Messalæ eiusdem Claudij consobrini. Hæc Octauia Syllano primum desponsata est. Quo repudiato atque occiso, iterum à patre Neroni collocata est priuigno suo, quem antea adoptauerat. Sed Nero illius consuetudinem aspernatus, ægre ferente id Rom. Po. dimisit ut sterilem, moxq; etiam interfecit, adulterium falso probante Aniceto pædagogo, quod ei falso etiam obiecerat Nero. Queritur itaque nunc Octa-

uia

uia miserrimam fortunam suam, simulq; patris obitum, quē filius ueneno necauerat: queritur insuper Seneca Neronis ipsius præceptor mores sui tēporis atq; calamitatem. Demum iussu principis infelix Octauia, annuente id Po. Ro. quod iampridem negauerat, ad necē traditur.

TRAGOEDIAE, QVAE INSCRIBITVR HERCVLES OETHEVS, ARGVMENTVM.

Hercules sacrificaturus ob deletę Oechaliæ urbis uictoriam & raptūm Iolæ, ad Deianiram coniugem misit puerum, qui uestem afferat, qua uti in sacrificando consueuerat. Deianira uero uestem marito misit sanguine Nessi centauri respersam, dubitans, ne Iolæ amore ipsa posthaberetur, quod suaserat Nessus fœminæ, ut faceret, si quando illa de mulieris alterius amore uereretur. Eam uestem ubi primum attigit Hercules, ueneno aspersus lenta tabe exedebatur, qua quidē de re consultus Apollo delphicus, respōdet, uti pyram Hercules in Oetho mōte construeret, ac de reliquis Ioui curam relinqueret. Cōstructa igitur pyra, & inibi per Philoctetis manus admoto igne, cum nihil reliquiarum reperissent qui aderant, in cœlum omnino sublatum Herculem censuerunt. Atq; hæc in suprema ista tragœdia referuntur.

L. ANNEI SENECAE CORDVBENSIS HERCVLES FVRENS.

In quo nam loco quilibet actus huius tragœdiæ incipiat.

In prima tragœdia Senecæ, cuius materia est furia Herculis, sunt quinq; actus, quorum primus est querimonia Iunonis de Ioue. Secundus est de Lyco Megaram destitutam persequente, & incipit, ibi. O magne. Tertius est reuersio Herculis ab inferis: ibi. O lucis. Quartus est de furia Herculis & de ijs quæ gessit, qui incipit ibi. Vltrice dextra. Quintus est de reuersione Herculis ad sensum suum, qui incipit ibi. Quis hic locus.

Primi actus huius tragœdiæ argumentum.

In hoc actu duo tractat, primo inducit Iunonem conquerentē & in ultione uitæ Herculeæ infernales furias inuocantem. Secundo chorum de gestis Herculis uulgariter

continentē: ibi. Turbine. Et nota quod tragœdię & comœdiæ solebāt in theatro hoc modo recitari: Theatrū erat area semicircularis in cuius medio erat parua domūcula. quæ scęna dicebat̃, in qua erat pulpitū, super quo Poëta carmina ꝓnuntiabat, extra uero erāt mimi, q carminū ꝓnuntiationem gestu corporis effigiabāt, per adaptationē ad quēlibet ex cuius persona loquebat̃. Vnde cū hoc primū carmē legebat̃ mimus effigiabat Iunonē cōquerentē & inuocantē furias infernales ad infestandū Herculē. Scribit̃ aūt hoc carmen metro archiloico q̃d cōstat trimetro iambico. Et nota q̃d in metris iambicis & anapæsticis duo pedes cōputātur pro uno metro. Et diuidit̃ carmen hoc in duas duas partes, quia primo fauorē ouis in Herculē cōquerēdo deplorat, secūdo contra Herculē furias concitat: ibi. Perge ira. Quia em̄ Iupiter adulterando cū Alcmena genuit Herculē tanquā de pellice, primo cōquerit̃ pellices honoratas & se habitā in cōtēptu, secūdo plāgit fauorē exhibitum Herculi: ibi. Quæ bella. Primoq; plangit se cōtēptā & pellices honoratas in generali, secundo ponit exēpla in speciali: ibi. Hinc

arctos. Dicit ergo: Soror tonantis.

Trimetri Iambici.

IVNO SOLA



Oror Tonantis, hoc enim solum mihi
Nomen relictū est, semper alienū Iouē
Ac tēpla summi uidua deserui ætheris,
Locumq; cœlo pulsa pellicibus dedi.
Tellus colēda est, pellices cœlū tenēt.
Hinc arctos alta parte glacialis poli
Sublime classes sydus argolicas agit.
*Hinc, qua tepenti uere * laxatur dies,* *lassatur
Tyriæ per undas uector Europæ nitet.
Illinc timendum ratibus, ac ponto gregem
Paßim uagantes exerunt Atlantides.
Fera coma hinc exterret Orion deos.
Suasq; Perseus aureas stellas habet.
Hinc clara gemini signa Tyndaridæ micant.
Quibusq; natis mobilis tellus stetit.
Nec ipse tantum Bacchus, aut Bacchi parens,
Adiere superos, nequa pars probro uacet,
Mundus puellæ serta Cnosiacæ gerit.
Sed uetera querimur, una me dira, ac fera
Thebana nuribus sparsa tellus impijs
Quoties nouercam fecit? ascendat licet,
Meumq; uictrix teneat Alcmene locum,

Pariterq; natus astra promissa occupet,
In cuius ortu mundus impendit diem,
Tardusq; eoo Phœbus effulsit mari
Retinere mersum iussus oceano iubar.
Non sic abibunt odia, uiuaces aget
Violentus iras animus, & sæuus dolor
Aeterna bella pace sublata geret.
* Quid bella? quicquid horridum tellus creat
Inimica, quicquid pontus, aut aër tulit
Terribile, dirum pestilens, atrox, ferum,
Fractum, atq; domitum est, superat, & crescit malis,
Iraq; nostra fruitur, in laudes suas
Mea uertit odia, dum nimis sæua impero.
Patrem probauit: inde, qua lucem premit,
Aperitq; Tethys, qua ferens Titan diem
Binos propinqua tingit Aethiopes face.
Indomita uirtus colitur: & toto deus
Narratur orbe: monstra iam desunt mihi,
Minorq; labor est Herculi iussa exequi,
Quàm mihi iubere: lætus imperia excipit.
Quæ fera tyranni iussa uiolento queant
Nocere iuueni? nempe pro telis gerit,
Quæ timuit, & quæ fudit, armatus uenit
Leone, & Hydra: nec satis terræ patent,
Effregit ecce limen inferni Iouis,

Et opi-

Et opima uicti regis ad superos refert.
Parum est reuerti, fœdus umbrarum perit.
Vidi ipsa, uidi nocte discussa inferum,
Et Dite domito, spolia iactantem patri
Fraterna, cur non uinctum, & oppreßum trahit
Ipsum cathenis paria sortitum Ioui?
* Ereboq; capto potitur, & retegit Styga. *C[illegible]eroq;
Patefacta ab imis manibus retro uia est.
Et s[illegible]ra diræ mortis in aperto iacent.
At ille rupto carcere umbrarum ferox
De me triumphat, & superbifica manu
Atrum per urbes duci argolicas canem.
Viso labantem Cerbero uidi diem,
Pauidumq; solem, me quoq; inuasit tremor,
Et * terna monstri colla deuicti intuens *terra
Timui imperasse: leuia sed nimium queror.
Cœlo timendum est, regna ne summa occupet,
Qui uicit ima, sceptra præripiet patri,
Nec in astra lenta ueniet, ut Bacchus, uiat
Iter ruina qu[illegible]ret, & uacuo uolet
Regnare mundo: robore expenso tumet,
Et posse cœlum uiribus uinci suis
Didicit ferendo: subdidit mundo caput,
Nec flexit humeros molis immensæ labor,
Mediusq; collo sedit herculeo polus.

Immota ceruix sydera, & cœlum tulit,
Et me prementem, quærit ad superos uiam.
Perge ira, perge, & magna meditantem opprime,
Congredere, manibus ipsa iam lacera tuis.
Quid tanta mandas odia? discedant feræ.
Ipse imperando fessus Eurystheus uacet.
Titanas ausos rumpere imperium Iouis
Emitte, Siculi uerticis laxa specum.
Tellus gigante Doris excusso tremens
Supposita monstri colla terrifici leuet.
Sublimis alias luna concipiat feras.
Sed uicit ista, quæris Alcidæ parem?
Nemo est, nisi ipse, bella iam secum gerat.
Adsint ab imo Tartari fundo excitæ
Eumenides, ignem flammeæ spargant comæ,
Viperea sæuæ uerbera incutiant manus.
I nunc superbe, cœlitum sedes pete.
Mouenda iam sunt bella, clarescit dies.
Humana temne, iam Styga, & manes ferox
Fugisse credis, hic tibi ostendam inferos.
Reuocabo in alta conditam caligine
Vltra nocentum exilia discordem deam,
*Quam munit * Qua mugit ingens montis oppositi specus,
Educam, & imo Ditis è regno extraham.
Quicquid relictum est, ueniat inuisum scelus,

Suumq;

Suumq; lambens sanguinem impietas ferox,
Errorq;, & in se semper armatus furor.
Hoc hoc ministro noster utatur dolor.
Incipite famulæ Ditis, ardentem incitæ
Concutite pinum, & agmen horrendum anguibus
Megæra ducat, atq; luctifica manu
Vastam rogo flagrantem corripiat trabem.
Hoc agite, pœnas petite uiolatæ Stygis.
Con[illegible]tite pectus, acrior mentem excoquat,
Quàm qui caminis ignis ætneis furit.
Vt poßit * anim[illegible] aptus Alcides agi, * [illegible]uum
Magno furore percitus, nobis prius
Insaniendum est, Iuno cur nondum furis?
Me me sorores mente deiectam mea
Versate primam, facere si quicquam apparo
Dignum nouerca, iam odia mutentur mea.
Natos reuersus uideat incolumes, precor,
Manuq; fortis redeat, inueni diem
Inuisa quo nos Herculis uirtus iuuet.
Me pariter, & se uincat, & cupiat mori
Ab inferis reuersus, hoc prosit mihi,
Ioue esse genitum, stabo, & ut certo exeant
Emissa neruo tela, librabo manum,
Regam furentis arma, pugnanti Herculi
Tandem fauebo, scelere perfecto licet

Admittat illas genitor in cœlum manus.

ADILON.

CHORVS.

Anapæstici.

IAm rara micant sydera prono
Languida mundo, nox uicta uagos
Contrahit ignes, luce renata
Cogit nitidum Phosphoros agmen.
Signum celsi glatiale poli:
Septem stellis Arcades ursæ
Lucem uerso temone uocant.
Iam cœruleis euectus equis
Titan, summum prospicit Oetan,
Iam cadmæis inclyta baccis
* Aspersa die dumeta rubent,
Phœbiq; fugit reditura soror.
Labor exoritur durus, & omneis
Agitat curas, aperitq; domos
Pastor, gelida cana pruina
Grege dimisso pabula carpit.
Ludit prato liber aperto
Nondum rupta fronte iuuencus.
Vacuæ reparant ubera matres.

* Aspera

Euuat

Errat cursu leuis incerto
Molli petulans hœdus in herba.
Pendet summo stridula ramo,
Pinnasq́; nouo tradere Soli
Gestit querulos inter nidos
Thracia pellex, turbaq́; circum
Confusa sonat, murmure misto
Testata diem, carbasa uentis
Credit dubius nauita uitæ,
Laxos aura complente sinus.
Hic exesis pendens scopulis,
Aut deceptos instruit hamos,
Aut suspensus spectat pressa
Præmia dextra.
Sentit tremulum linea piscem.
Hæc innocuæ quibus est uitæ
Tranquilla quies, & læta suo
Paruoq́; domus, spes & in agris
Eiusdem rationis cum superioribus.

CHORVS.

TVrbine magno spes sollicitæ
Vrbibus errāt, trepidiq́; metus.
Illé superbos aditus regum,
Durasq́; fores expers somni

* ac Colit, * hic nullo fine * beatus
* beatas Componit opes, gazis inhians,
Et congesto pauper in auro est.
Illum populi fauor attonitum,
Fluctuq; magis mobile uulgus,
* uoluit Aura tumidum * tollit inani.
Hic clamosi rabiosa fori
Iurgia uendens improbus, iras
Et uerba locat: nouit paucos
Secura quies, qui uelocis
Memores æui, tempora nunquam
Reditura tenent: dum fata sinunt,
Viuite læti: properat cursu
Vita citato, uolucriq; die
Rota præcipitis uertitur anni.
Duræ peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila reuoluunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obuia fatis incerta sui.
Stygias ultro quærimus undas.
Nimium Alcide pectore forti
Properas mæstos uisere manes.
Certo ueniunt ordine Parcæ.
Nulli iusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.

Recipit populus urna citatos.
Alium multis gloria terris
Tradat, & omnes fama per urbes
Garrula laudet, cœloq́; parem
Tollat, & aſtris: alius curru
Sublimis eat, me mea tellus
Lare ſecreto, tutoq́; tegat.
Venit ad pigros cana ſenectus,
Humiliq́; loco, ſed certa, ſedet
Sordida paruæ fortuna domus.
Alte uirtus animoſa cadit,
Sed mœſta uenit crine ſoluto
Megara paruum comitata gregem,
Tardusq́; ſenio graditur Alcidæ parens.

ACTVS SECVNDVS

In carmine tertio continet̃ actus ſecũdus huius tragœdię, qui eſt de perſecutione Lyci in Megarã uxorẽ Herculis, & habet tres partes hæc pars, in quarum prima Megara abſentiam uiri ſui deplorat. In ſecunda oſtenditur quomodo Lycus Megaram infeſtet: ibi. Non uetera. In tertia chorus hanc infeſtationem deplorat: ibi. O fortuna. Prima habet duas partes quia primo Megara abſenti

14

absentiam Herculis & eius infortunia deplorat. Secundo Amphitrion pater Herculis ipsam consolatur, & confortat: ibi. O socia. Secunda quoque pars habet duas, quia primo finem infortuniorū suorum implorat, secundo infortunia uiri sui Herculis nominando deplorat: ibi. Nulla. Scribitur autem hoc carmen metro archiloico trimetro iambico, sicut & primum, orat ergo primo deum ut infortunijs suis finem imponat, dicens. O Magne.

Trimetri Iambici.

MEGARA.

O Magne olympi rector, & mundi arbiter
Iam statue tādem grauibus ærumnis modum,
Finemq; cladi: nulla lux unquam mihi
Secura fulsit, finis alterius mali
Gradus est futuri, protinus reduci nouus
Paratur hostis, antequàm lætam domum
Contingat, aliud iussus ad bellum meat,
Nec ulla requies, tempus aut ullum datur,
Nisi dum iubetur, sequitur apprime statim
Infesta Iuno, nunquid immunis fuit
Infantis ætas? monstra superauit prius,

Quàm

Quàm nosse posset, gemina cristati caput
Angues ferebant ora, quos contra obuius
Reptauit infans, igneos serpentium
Oculos remisso pectore, ac placido intuens
Arctos serenis uultibus nodos tulit.
Et tumida tenera guttura elidens manu,
Prælusit Hydræ, Mænali pernix fera,
Multo decorum præferens auro caput
Deprensa cursu est, Maximus nemeæ timor
Gemuit lacertis pressus herculeis Leo.
Quid stabula memorem dira Bistonij gregis?
Suisq; regem pabulum armentis datum?
Solitumq; densis hispidum Erymanthi iugis
Arcadica quatere nemora mænalium suem?
Taurumq; centum non leuem populis metum?
Inter remotos gentis Hesperiæ greges
Pastor triformis littoris Tartesij
Peremptus, acta est præda ab occasu ultimo.
Notum Cithæron pauit oceano pecus,
Penetrare iussus solis æstiui plagas,
Et adusta medius regna quæ torret dies,
Vtrinq; montes soluit abrupto obice.
Etiam ruenti fecit oceano uiam.
Post hæc adortus nemoris opulenti domos
Aurifera uigilis spolia serpentis tulit.

Quid

Quid sæua Lernæ monstra, numerosum malum?
Non igne demum uicit, & docuit mori?
Solitasq; pinnis condere obductis diem.
Petijt ab ipsis nubibus Stymphalidas.
Non uicit illum cœlibis semper tori
Regina gentis uidua Thermodontiæ.
Nec ad omne clarum facinus audaces manus,
Stabuli fugauit turpis Augiæ labor.
Quid ista prosunt, orbe defenso caret.
Sensere terræ pacis autorem suæ
Abesse terris, prosperum, ac felix scelus
Virtus uocatur, sontibus parent boni.
Ius est in armis, opprimit leges timor.
Ante ora uidi nostra truculenta manu
Gnatos paterni cadere regni uindices,
Ipsumq; Cadmi nobilis stirpem ultimam
Occidere, uidi regium capitis decus
Cum capite raptum: quis satis Thebas fleat?
Ferax deorum terra quem dominum tremit?
E cuius arvis, eq; fœcundo sinu
Stricto iuuentus orta cum ferro stetit.
Cuiusq; muros natus Amphion Ioue
Struxit canoro saxa modulatu trahens.
In cuius urbem non semel diuûm parens
Cœlo relicto uenit: hæc quæ cœlites

Recepit, & quæ fecit, &, fas sit loqui,
Fortasse faciet, sordido premitur iugo.
Cadmæa proles, ciuis atq; Ophionius
Quò * decidistis? tremitis ignauum exulem * recidistis
Suis carentem finibus, nostris grauem.
Qui scelera terra, quiq; persequitur mari,
Ac sæua * iusta sceptra confregit manu. * iu[illegible]
Nunc seruit absens, * fertq; quæ fieri uetat. * [illegible] quæ
Tenetq; Thebas exul herculeas Lycus?
Sed non tenebit, aderit, & pœnas petet,
Subitusq; ad astra emerget: inueniet uiam,
Aut faciet: adsis sospes, & remees tuis.
Tandemq; uenias uictor ad uictam domum,
Emerge coniunx, atq; de pulsas manu
Abrumpe tenebras, nulla si uetito uia,
Iterq; clausum est, orbe diducto redi.
Et quicquid atra nocte possessum latet,
Emitte tecum, dirutis qualis iugis
Præceps citato flumini quærens iter?
Quondam * stetisti, scissa cum fasto impetu * scisti.
Patuere Tempe, pectore impulsus tuo
Huc mons, & illuc cecidit: & rupto aggere
Noua cucurrit Thessalus torrens uia.
Talis parentes, liberos, patriam petens,
Erumpe, rerum terminos tecum afferens.

Et quic

Et quicquid auida tot per annorum gradus
Abscondit ætas, redde, & oblitos sui,
Lucisq; pauidos ante te populos age.
Indigna te sunt spolia, si tantum refers,
Quantum imperatum est, magna, sed nimium loquor.
Ignara nostræ sortis, unde illum mihi,
*die, Quo te, tuamq; dexteram amplectar, * diem,
Reditusq; lentos, nec mei memores querar?
Tibi ô deorum ductor indomiti ferent
* ens Centena tauri colla, tibi frugum * parens
Secreta reddam sacra, tibi multa fide
Longas Eleusi tacita iactabo faces,
Tum restitutas fratribus rebor meis
Animas, & ipsum regna moderantem sua
Florere patrem, siqua te maior tenet
Clausum potestas, sequimur, aut omnes tuo
Defende reditu sospes, aut omnes trahe,
Trahes, nec ullus eriget fractos deus.

AMPHITRYON, MEGARA.

Eiusdem rationis.

O Socia nostri sanguinis casta fide
Seruans torum, natosq; magnanimi Herculis,
Meliora mente concipe, atq; animum excita.
Aderit profecto, qualis ex omni solet

Labore

Labore, maior. ME. Quod nimis miseri uolunt,
Hoc facile credunt. AM. Imò quod metuunt nimis
Nunquam amoueri posse, nec tolli putant.
ME. Prona est timori semper in peius fides
Demersus, ac defossus, & toto insuper
Oppressus orbe, quam uiam ad superos habet?
AM. Quam tunc habebat cum per arentem plagam,
Et fluctuantes more turbati maris
Abijt arenas, bisq; discedens fretum,
Et bis recurrens, cumq; deserta rate
Deprensus hæsit Syrtium breuibus uadis,
Et puppe fixa maria superauit pedes?
ME. Iniqua raro maximis uirtutibus
Fortuna parcit: nemo se tutò diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem sæpe transit casus, aliquando inuenit.
Sed ecce sæuus, ac minas uultu gerens,
Et qualis animo est, talis incessu uenit,
Aliena dextra sceptra concutiens Lycus,
Vrbis regens opulenta Thebanæ loca,
Et omne quicquid uberi cingit solo
Obliqua Phocis, quicquid Ismenus rigat,
Quicquid Cithæron uertice excelso uidet,
Et bina * findens Isthmos exilis freta. * scindens

 LYCVS

LYCVS. MEGARA. AMPHITRYON.

Trimetri Iambici.

NOn uetera patriæ iura poßideo domus
Ignauus hæres, nobiles non sunt mihi
Aui, nec altis inclytum titulis genus,
Sed clara uirtus: qui genus iactat suum,
Aliena laudat: Rapta sed trepida manu
Sceptra obtinentur: omnis in ferro est salus.
* tene[illegible]r in *Quod ciuibus * tenere te inuitis scias,*
tis *Strictus tuetur ensis: alieno in loco*
Haud stabile regnum est, una sed nostras potest
* iugali *Fundare uires, iuncta * regali face,*
Thalamisq; Megara: ducet è genere inclyto
Nouitas colorem nostra: non equidem reor,
Fore ut recuset, ac meos spernat toros.
Quod si impotenti pertinax animo abnuet,
Stat tollere omnem penitus herculeam domum.
Inuidia fastum, ac sermo popularis premet.
* regum *Ars prima * regni est, posse * te inuidiam pati.*
* aliàs deest *Tentemus igitur, fors dedit nobis locum.*
te. *Nanq; ipsa tristi uestis obtectu caput*
Velata iuxta præsides adstat deos,
Laterię; adhæret uerus Alcide sator.
ME. *Quidnam iste nostri generis exitium, ac lues*

Noui

Noui parat? quid tentat? Ly. ô clarum trahens
A stirpe nomen regia, facilis mea
Parumper aure uerba * patienti excipe. *patienter
Si æterna semper odia mortales agant,
Nec ceptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret.
Nihil relinquent bella, tam uastis ager
Squallebit aruis, subdita tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci uelle uictori expedit,
Victo necesse est: particeps regno ueni:
Sociemus animos, pignus hoc fidei cape:
Continge dextram: quid truci uultu siles?
M E. Egóne? ut parentis sanguine aspersam manum,
Fratrumq́; gemina cæde contingam? Prius
Extinguet ortus, referet occasus, * dies, *diem,
Pax ante fida niuibus, & flammis erit,
Et Scylla Siculum iunget Ausonio latus.
Priusq́; multo uicibus alternis fugax
Euripus unda stabit Euboica piger.
Patrem abstulisti, regna, germanos, larem,
Patriam, quid ultra est? una res superest mihi,
Fratre, ac parente carior, regno ac lare,
Odium tui, quod esse cum populo mihi
Commune doleo, pars quota ex isto mea est.

Dominare tumidus, ſpiritus altos gere,
Sequitur ſuperbos uictor à tergo deus,
Thebana noui regna. Quid matres loquar
Paſſas, & auſas ſcelera? quid geminum nefas,
*& patris Miſtumq́; nomen coniugis, nati * patris?
Quid bina fratrum caſtra, quid totidem rogos?
Riget ſuperba Tantalis luctu parens,
Mœſtusq́; Phrygio manat in Sipylo lapis.
Quin ipſe toruum ſubrigens criſta caput
Illyrica Cadmus regna permenſus fuga,
Longas reliquit corporis tracti notas.
Hæc te manent exempla, dominare ut iubet,
Dum ſolita regni fata te noſtri uocent.
*effrenatas LY. Agedum * efferatas rabida uoces amoue.
Et diſce regum imperia ab Alcide pati.
Ego rapta quamuis ſceptra uictrici geram
Dextra, regamq́; cuncta ſine legum metu,
Quas arma uincunt, pauca pro cauſa loquar
Noſtra: cruento cecidit in bello pater,
Cecidere fratres: arma non ſeruant modum
Nec temperari facile, nec reprimi poteſt
Stricti enſis ira: bella delectat cruor.
Sed ille regno pro ſuo, nos improba
Cupidine acti, quæritur belli exitus,
Non cauſa: ſed nunc pereat omnis memoria,

Cum

Cum uictor arma posuit, & uictum decet
Deponere odia: non, ut inflexo genu
Regnantem adores, petimus: hoc ipsum placet
Animo ruinas quod capis magno tuas.
Es, rege coniunx digna, sociemus toros.
ME. Gelidus per artus uadit exangues tremor,
Quod facinus aures pepulit, haud equidem horrui.
Cum pace rupta bellicus muros fragor
Circumsonaret, pertuli intrepide omnia.
Thalamos tremisco, capta nunc uideor mihi.
Grauent catenæ corpus, & longa fame
Mors protrahatur lenta, non uincet fidem
Vis ulla nostra, moriar Alcide tua.
LY. Animósne mersus inferis coniunx facit?
ME. Inferna tetigit, posset ut supera assequi,
LY. Telluris illum pondus immensæ premit.
ME. Nullo premetur onere, qui cœlum tulit.
LY. Cogere. ME. Cogi qui potest nescit mori.
LY. Effare, thalamis quod nouis potius parem
Regale munus. ME. Aut tuam mortem, aut meam.
LY. Moriere demens. ME. Coniugi occurram meo.
LY. Sceptróque nostro potior est famulus tibi?
ME. Quot iste famulus tradidit reges neci?
LY. Cur ergo regi seruit, & patitur iugum?
ME. Imperia dura tolle, quid uirtus erit?

LY. Obijci feris, monstrisq; uirtutem putas?
*timent. ME. Virtutis est domare quæ cuncti * pauent.
LY. Tenebræ loquentem magna tartareæ premunt.
ME. Non est ad astra mollis è terris uia.
LY. Quo patre genitus, cœlitum penetrat domos?
AM. Miseranda coniunx Herculis magni sile,
Partes meæ hæ sunt, reddere Alcidæ patrem,
Genusq; uerum: post tot ingentis uiri
Memoranda facta, postq; pacatum manu
Quodcunq; Titan ortus, & labens uidet,
Post monstra tot perdomita, post Phlegram impio
Sparsam cruore, postq; defensos deos
Nondum liquet de patre? mentimur Iouem?
Iunonis odio crede. LY. Quid uiolas Iouem
Mortale cœlo non potest iungi genus.
AM. Communis ista pluribus causa est deis.
LY. Famuli ne fuerant antequam fierent dei?
AM. Pastor Pheræos Delius pauit greges.
LY. Sed non per omnes exul errauit plagas.
*dedit. AM. Quem profuga terra mater erranti * ædidit.
LY. Non monstra, sæuas Phœbus aut timuit feras.
AM. Primus sagittas imbuit Phœbi Draco.
Quàm grauia paruus tulerit, ignoras mala?
E matris utero fulmine eiectus puer,
Mox fulminanti proximus patri stetit.

Quid

Quid qui gubernat astra, qui nubes quatit,
Num latuit infans rupis exesæ specu?
Sollicita tanti pretia natales habent,
Semperq; magno constitit, nasci deum.
LY. Quencunq; miserum uideris, hominem scias.
AM. Quencunq; fortem uideris, miserum neges.
LY. Fortem uocemus, cuius ex humeris Leo
Donum puellæ factus, & claua excidit,
Fulsitq; pictum ueste sidonia latus?
Fortem uocemus, cuius horrentes comæ
Maduere nardo, laude qui notas manus
Ad non uirilem tympani mouit sonum
Mitra ferocem barbara frontem premens?
AM. Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli leuem
Vibrasse thyrsum, cum parum forti gradu
Auro decorum syrma barbaricum trahit.
Post multa uirtus opera * laxari solet. *lassari
LY. Hoc Euriti fatetur euersi domus,
Pecorumq; ritu uirginum oppreßi greges.
Hoc nulla Iuno, nullus Euristheus iubet.
Ipsius hæc sunt opera. AM. Non nosti omnia.
Ipsius opus est cæstibus fractus suis
Eryx, & Eryci iunctus Antæus libys.
Et qui hospitali cæde manantes, foci

Bibere iustum sanguinem Busiridis.
Ipsius opus est, uulneri, & fero obuius
Mortem coactus ante Geriones pati.
Nec unus una Geryon uictus manu.
Eris inter istos, qui tamen nullo stupro
Læsere thalamos. LY. Quod Ioui, hoc regi licet:
Ioui dedisti coniugem, regi dabis.
Et te magistro non nouum hoc discet nurus,
Etiam uiro probante meliorem sequi:
Sin copulari pertinax tædis negat,
Vel ex coacta nobilem partum feram.
ME. Vmbre creontis, & penates Labdaci,
Et nuptiales impij Oedipodæ faces,
Nunc solita nostro fata coniugio date.
Nunc, nunc cruentæ regis Aegypti nurus,
Adeste multo sanguine infectæ manus,
Deest una numero Donais, explebo nefas.
*pertinax LY. Coniugia quoniam * peruicax nostra abnuis,
Regemq; terres, sceptra quid poßint, scies.
*dies Complectere aras, nullus eripiet * deus
Te mihi: nec orbe si remolito queat
Ad supera uictor numina Alcides uehi.
Congerite syluas, templa supplicibus suis
Iniecta flagrent: coniugem, & totum gregem
Consumat unus igne subiecto rogus.

AM.

AM. Hoc munus à te genitor Alcide peto,
Rogare quod me deceat, ut primus cadam.
LY. Qui morte cunctos luere supplicium iubet,
Nescit tyrannus esse, diuersa irroga
Miserum * ueta perire: felicem iube. * uitæ: da perire felicem
Ego, dum cremandis trabibus accrescit rogus,
Sacro regentem maria uotiuo rogem.
AM. Prò numinum uis summa, prò cœlestium,
Rector, parensq́; cuius excußis tremunt
Humana telis, impiam regis feri
Compesce dextram, quid deos frustra precor?
Vbicunq; es, audi nate: cur subito labant
Agitata motu templa? cur mugit solum?
Infernus imo sonuit è fundo fragor?
Audimur, en est sonitus Herculei gradus.

CHORVS.

Trimetri Iambici.

O Fortuna uiris inuida fortibus.
* Quàm non æqua bonis præmia diuidis, * Quæ
Eurystheus facili regnet in otio,
Alcmena genitus bella per omnia
Monstris exagitet cœliferam manum,
Serpentis resecet colla ferocia,
Deceptis referat mala sororibus,

Cum somno dederit peruigiles genas,
Pomis diuitibus præpositus Draco.
Intrauit Scythiæ multiuagas domos,
Et gentes patrijs sedibus hospitas.
Calcauitq; freti terga rigentia,
Et mutis tacitum littoribus mare.
Illic dura carent æquora fluctibus,
Et qua plena rates carbasa tenderant,
Intonsis teritur semita Sarmatis:
Stat pontus uicibus mobilis annuis,
Nauem nunc facilis, nunc equitem pati.
Illic quæ uiduis gentibus imperat,
Aurato religans ilia baltheo,
Detraxit spolium nobile corpori,
Et peltam, & niuei uincula pectoris,
Victorem posito suspiciens genu.
Qui spe præcipites actus ad inferos
Audax ire uias irremeabiles.
Vidisti Syculæ regna Proserpinæ?
Illuc nulla Noto, nulla Fauonio
Consurgunt tumidis fluctibus æquora,
Non illic geminum Tyndaridæ genus
*miseris Succurrunt *timidis sydera nauibus.
Sat nigro pelagus gurgite languidum,
Et cum mors auidis pallida dentibus

Gentes innumeras manibus intulit.
Vno tot populi remige transeunt.
Euincas utinam iura feræ · tygis,
Parcarumq́; colos irreuocabiles.
Hic qui rex populis pluribus imperat,
Bello cum peteres * nestoriam Pylon, * Nestoris cani
Tecum conseruit pestiferas manus,
Telum ter gemina cuspide præferens.
Effugit tenui uulnere saucius,
Et mortis dominus pertimuit mori
Fatum rumpe manu: * tristibus inferis * tristis &
Prospectus pateat lucis, & inuius
Limes det faciles ad superos uias.
Immites potuit flectere cantibus
Vmbrarum dominos, & prece supplici
Orpheus, Euydicen dum * repetit suam. * recipit
Quæ syluas, & * aues, saxaq́; traxerat, * amnes
Ars, quæ præbuerat fluminibus moras,
Ad cuius sonitum constiterant feræ,
Mulcet non solitis uocibus inferos,
Et surdis resonat clarius in locis,
Deflent & lachrymis difficiles dei.
Et qui fronte nimis crimina tetrica
Quærunt, ac ueteres excutiunt reos,
Deflent Euridicen Thræiciæ nurus.

Flentes

Flentes Euridicen Iuridici ſedent.
Tandem mortis, ait, uincimur arbiter.
Euade ad ſuperos, lege tamen data,
Tu poſt terga tui perge uiri comes,
Tu non ante tuam reſpice coniugem,
Quàm cum clara deos obtulerit dies,
Spartaniq; aderit ianua Tænari.
Odit uerus amor, nec patitur, moras.
Munus, dum properat cernere, perdidit.
Quæ uinci potuit regna cantibus,
Hæc uinci poterit regia uiribus.

ACTVS TERTIVS.

In carmine quinto quod ſcribitur metro trimetro iambico incipit actus tertius huius tragœdiæ, qui eſt reuerſio Herculis ab inferis. Et primo agit de hac reuerſione, ſecundo inducit chorum laudantem Herculem ſuper reuerſione ſua: ibi. Natus Euriſtheus. Tria hic potiſſimum tractantur, primo enim Hercules deos ne offendant orat, ſecundo de Lyco & ſuis ſe uendicat: ibi. Vtrū ne. Tertio Amphitrion Theſeum quæ in inferno geſta ſunt interrogat: ibi. Non ſecundet. In hoc ergo carmine primo petit Hercules ne ſuus aſcenſus in offenſam deorum accedat, ſecundo Iunoni ipſum infeſtanti

ſtanti inſultat:ibi. Hoc nephas. Tertio ſpecialiter quaſi admirans de factis Lyci interrogat:ibi. Sed templa. Quoniam Phœbus omnia uidet primus,unde Ouid.lib.4. Metamorph. Videt hic deus omnia primus. Primo eum ne offendat rogat quod infernum ei patefecit, ſecũdo Iouem & alios deos ne infernum uideant precatur:ibi. Tuq́ cœleſtum. Quãtum ad primum dicit:Phœbe rector.

Trimetri Iambici.

HERCVLES.

O Lucis alme rector, & cœli decus,
Qui alterna curru ſpatia flammifero ambiẽs
Illuſtre lætis exeris terris caput,
Da Phœbe ueniam, ſi quid illicitum tui
Videre uultus, iuſſus in lucem extuli
Secreta mundi, tuq́; ſceleſtum arbiter,
Parensq́; uiſus fulmine oppoſito tege.
Et tu ſecundo maria qui ſceptro regis,
Imas pete undas, quiſquis ex alto aſpicit
Terrena facie pollui metuens noua
Aciem reflectat. oraq́; in cœlum erigat
Portenta fugiens, hoc nefas cernãt duo,
Qui aduexit, & quæ iußit in pœnas meas

Atq; in labores non satis terræ patent
Iunonis odio: uidi inaccessa omnibus
Ignota Phœbo, quæq; deterior polus
Obscura diro spatia concesšit Ioui.
Et si placerent tertiæ sortis loca,
Regnare potui, noctis æterne chaos,
Et nocte quiddam grauius, & tristes deos,
Et fata uici, morte contempta redij.
Quid restat aliud? uidi, & ostendi inferos,
Da, si quid ultra est, nam diu pateris manus
Cessare nostras: Iuno, quid uinci iubes?
Sed templa quare miles infestus tenet?
Limenq; sacrum terror armorum obsidet?

AMPHITRYON. HERCULES. THESEUS.

Trimetri Iambici.

VTrum ne uisus uota decipiunt meos?
An ille domitor orbis, & Graium decus,

Tristi silentum nubilo liquit domum?
Est ne ille natus? membra lætitia stupent,
O nate, certa, & sera Thebarum salus,
Verum ne cerno corpus? an fallor tua
Deceptus umbra? tune es? agnosco toros,
Humerosq́; & alto nobilem trunco manum.
HER. Vnde iste genitor squalor, & lugubribus
Amicta coniunx? unde tam fœdo obsiti
Pædore nati? quæ domum clades grauat?
AM. Socer est peremptus, regnaq́; Lycus poßidet,
Natos, parentem, coniugem leto petit.
HER. Ingrata tellus, nemo ad Herculeas domus
* Auxilia uenit? uidit hoc tantum nefas — *, Auxilio
Defensus orbis? cur diem questu tero?
Mactetur hostis. TH. Hanc ferat uirtus notam,
Fiatq́; summus hostis Alcidæ Lycus,
Ad hauriendum sanguinem inimicum feror.
HER. Theseu resiste, ne qua uis subita ingruat,
Me bella poscunt, differ amplexus parens,
Coniunxq́; differ, nuntiet Diti Lycus
Me iam rediße. TH. Flebilem ex oculis fuga
Regina uultum, tuq́; nato sospite
Lachrymas cadentes reprime: si noui Herculem,
Lycus Creonti debitas pœnas dabit,
Lentum est, dabit, dat, hoc quoq; est lentum, dedit.

AM. VO-

AM. *Votum secundet qui potest, nostrum deus,*
Rebusq́; lassis adsit: ô magni comes
Magnanime nati, pande uirtutum ordinem.
Quàm longa mœstos ducat ad manes uia,
Vt uincla tulerit dura tartareus canis.
THE. *Memorare cogis acta, securæ quoq;*
Horrenda menti, uix adhuc certa est fides
Vitalis auræ, torpet acies luminum,
Hebetesq́; uisus uix diem insuetum ferunt.
AM. *Peruince Theseu quicquid alto pectore*
Remanet pauoris, neue te fructu optimo
Frauda laborum. Quod fuit durum pati,
Meminisse dulce est: Fare casus horridos.
TH. *Fas omne mundi, teq́; dominantem precor*
Regno capaci, teq́;, quam tota irrita
* Aetna *Quæsiuit * Enna mater, ut iura abdita*
Et operta terris, liceat impune eloqui.
Spartana tellus nobile attollit iugum,
Densis ubi æquor Tænarus syluis premis.
Hic ora soluit Ditis inuisi domus,
Hiatq́; rupes alta, & immenso specu
Ingens uorago faucibus uastis patet,
Latumq́; pandit omnibus populis iter.
Non cæca tenebris incipit primo uia.
Tenuis relictæ lucis à tergo nitor,

Fulgorq́;

Fulgorq; dubius solis afflicti cadit,
Et ludit aciem: tale non dubie solet
Præbere lumen primus, aut serus dies.
Hinc ampla uacuis spatia laxantur locis,
In quæ omne mersum pereat humanum genus.
Nec ire labor est, ipsa deducit uia.
Vt sæpe puppes æstus inuitas rapit,
Sic pronus * agger urget, atq; auidum chaos, *aër
Gradumq; retro flectere haud unquam sinunt
Vmbræ tenaces, intus immenso sinu
Placido quieta labitur lethe uado,
Demitq; curas: neue remeandi amplius
Pateat facultas, flexibus multis grauem
Inuoluit amnem. Qualis incerta uagus
Mæander unda ludit, & cedit sibi,
Instatq; dubius, littus, an fontem petat.
Palus inertis fœda Cocyti iacet,
Hic uultur, illic luctifer bubo gemit,
Omenq; triste resonat infaustæ Strigis,
Horrent opaca fronde nigrantes comæ,
Taxo imminente, quam tenet segnis sopor;
Famesq; mœsta * tabido rictu iacens, *rabido
Pudorq; serus conscios uultus tegit,
Metus, pauorq;, funus, & frendens dolor,
Aterq; luctus sequitur, & morbus tremens,

*cuncta Et * cincta ferro bella: in extremo abdita
Iners senectus adiuuat baculo gradum.
AM. Est ne aliqua tellus Cereris, aut Bacchi ferax?
TH. Non prata uiridi læta facie germinant,
Nec adulta leni fluctuat Zephyro seges.
Non ulla ramos sylua pomiferos habet.
Sterilis profundi uastitas squalet soli,
Et fœda tellus torpet æterno situ.
Rerumq; mœstus finis, & mundi ultima,
Immotus aër hæret, & pigro sedet
Nox atra mundo, cuncta mœrore horrida.
Ipsaq; morte peior est mortis locus.
AM. Quid? ille opaca qui regit sceptra loca,
Qua sede positus, temperat populos leues?
*secessu TH. Est in * recessu Tartari obscuro locus,
Quem grauibus umbris spissa caligo alligat,
A fonte discors manat hinc imo latex
Ater quieto similis: hunc iurant dei,
Tacente sacram deuehens fluuio styga,
At hic tumultu rapitur ingenti ferox,
Et saxa fluctu uoluit Acheron inuius
Renauigari, cingitur duplici uado,
Aduersa Ditis regia, atq; ingens domus
Vmbrante luco tegitur: hic uasto specu
Pendent tyranni lumina, hoc umbris iter,

Hæc porta regni, campus hanc circa iacet
In quo superbo * digerit uultu sedens * dirigit
Animas recentes, dira maiestas deo.
Frons torua, fratrum quæ * tamen specimen gerat, * tantum
Gentisq́; tantæ uultus est illi Iouis,
Sed fulminantis, magna pars regni trucis
Est ipse dominus, cuius aspectum timet
Quicquid timetur. AM. Verúmne est fama inferis
Tam sera reddi iura, & oblitos sui
Sceleris nocentes debitas pœnas dare?
Quis iste ueri recti atq; æqui arbiter?
TH. Non unus alta sede quæsitor sedens
Iudicia trepidis sera sortitur reis.
Auditur illo Cnosius Minos foro,
Radamanthus illo: Thetidis hoc audit socer.
Quod quisq; fecit patitur, autorem scelus
Repetit, suoq́; premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni: quisquis est placide potens
Dominusq́; uitæ seruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animoq́; parcit, longa permensus diu
Felicis æui spacia, uel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elisij loca.

Iudex futurus sanguine humano abstine,
Quicunq; regnas, scelera taxantur modo
Maiore nostra. AM. Certus inclusos tenet
Locus nocentes,utq;,utq; fert fama,impios
Supplicia uinclis sæua perpetuis domant?
TH. Rapitur uolucri tortus Ixion rota
Ceruice saxum grande Sisyphea sedet,
In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur undas,abluit mentum latex,
Fidemq; cum iam sæpe decepto dedit,
Perit unda in ore poma destituunt famem.
Præbet uolucri Tityus æternas dapes,
Vrnasq; frustra Danaides plenas ferunt,
Errant furentes impiæ Cadmeides.
Terretq; mensas auida Phineas auis.
AM. Nunc ede nati nobilem pugnam mei,
Patrui uolentis munus,an spolium refert?
TH. Ferale tardis imminet saxum uadis.
Stupente ubi unda segne torpescit fretum,
Hunc seruat amnem cultu,& aspectu horridus,
Pauidosq; manes squallidus gestat senex,
Impexa pendet barba,deformem sinum
*lucent Nodus coërcet,concauæ * squalent genæ,
Regit ipse conto portitor longo ratem,
* uacuus Hic onere * uacuam littori puppim applicans,

Repetebat undas, poscit Alcides uiam
Cedente turba: dirus exclamat Charon:
Quò pergis audax? siste properantem gradum.
Non passus ullas natus Alcmena moras
Ipso coactum nauitam conto domat,
Scanditq; puppem: cymba populorum capax
Succubuit uni, * sedit, & grauior ratis — * cedit
Vtrinq; Lethen latere * titubato bibit. — * titubante
Tum uasta trepidant monstra, Centauri truces,
Lapithæq; multo bella succensi mero.
Stygiæ paludis ultimos quærens sinus
Fœcunda mergit capita Lernæus labor.
Post hæc auari Ditis apparet domus:
Hic sæuus umbras territat Stygius canis,
Qui terna uasto capita concutiens sono,
Regnum tuetur, sordidum tabo caput
Lambunt colubri, uiperis horrent iubæ,
Longusq; torta sibilat cauda Draco,
Par ira formæ, sensit ut motus pedum,
Attollit hirtas angue uibrato comas,
Missumq; captat aure subiecta sonum.
Sentire & umbras solitus, ut propior stetit
Ioue natus, antro cedit incertus canis,
Et uterq; timuit: ecce latratu graui
Loca muta terret, sibilat totos minax

Serpens per armos, uocis horrendæ fragor
Per ora missus terna, felices quoq;
* ferox Exterret umbras, soluit à læua * feros
Tunc ipse rictus, & cleoneum caput
Opponit, ac se tegmine ingenti clepit.
Victrice magnū dextera robur gerens,
Huc nunc, & illuc uerbere aßiduo rotat,
Ingeminat ictus, domitus infregit minas,
Et cuncta lassus capita submisit canis,
Antroq; toto ceßit: extimuit sedens
Vterq; solio dominus, & duci iubet,
Me quoq; petenti munus Alcidæ dedit.
Tunc grauia monstri colla permulcens manu
* nectit, Adamante texto * uincit, oblitus sui
Custos opaci peruigil regni canis
Componit aures timidus, & patiens trahi,
Herumq; fassus, ore submisso obsequens
Vtrunq; cauda pulsat anguifera latus.
Postquam est ad oras Tænari uentum, & nitor
Percußit oculos lucis ignotæ bonos
Resumit animos uinctus, & uastas furens
Quassat catenas, penè uectorem abstulit,
Pronumq; retro uexit, & mouit gradu.
Tunc & meas respexit Alcides manus,
Geminis uterq; uiribus tractum canem

Ira

Ira furentem, & bella tentantem irrita
Intulimus orbi, uidit ut clarum æthera,
Et pura nitidi spatia conspexit poli,
Oborta nox est, lumina in terram dedit.
Compreßit oculos, & diem inuisum expulit,
Aciemq; retro flexit, atq; omni petit
Ceruice terram: tum sub Herculea caput
Abscondit umbra, densa sed læto uenit
Clamore turba, frontibus laurum gerens,
Magniq; meritas Herculis laudes canit.

CHORVS.

Saphici hendecasyllabi.

NAtus Euristheus properante partu,
Iusserat mundi penetrare fundum,
Deerat hoc solum numero laborum,
Tertiæ regem spoliare sortis.
Ausus est cæcos aditus inire,
Ducit ad manes uia qua remotos
Tristis, & sylua metuenda nigra.
Sed frequens magna comitante turba,
Quantus incedit populus per urbes
Ad noui ludos auidus theatri:
Qualis Eleum * coit ad tonantem, * currit

Quanta cum longe redit hora noctis,
Crescere & somnos cupiens quietos
Libra phœbeos tenet æqua currus,
Turba secretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis,
Attici noctem celebrare Mystæ.
Tanta per campos agitur silentes
Turba, pars tarda gradiens senecta,
Tristis, & longa satiata uita:
Pars adhuc currit melioris æui,
Virgines nondum thalamis iugatæ,
Et comis nondum positis ephebi,
Matris & nomen modo doctus infans,
His datum solis, minus ut timerent,
Igne prælato reuelare noctem.
Cæteri uadunt per opaca tristes.
Qualis est nobis animus remota
Luce, cum mœstus sibi quisq; sensit
Obrutum tota caput esse terra.
Stat chaos densum, tenebræq; turpes,
Et color noctis malus, ac silentis
* uariæq; Otium mundi, * uacuæq; nubes.
Sera nos illò referat senectus.
Nemo ad id serò uenit, unde nunquam
Cum semel uenit, potuit reuerti.

Quid

Quid iuuat durum properare fatum,
Omnis hæc magnis uaga turba terris
Ibit ad manes, facietq; inerti
Vela Cocyto, tibi crescit omne,
Et quod occasus uidet, & quod ortus:
Parce uenturis, tibi mors paramur.
Sis licet segnis, properamus ipsi.
Prima, quæ uitam dedit, hora carpsit.

Choriambici uersus.

Thebis læta dies adest,
Aras tangite supplices,
Pingues cædite uictimas.
Permistæ maribus nurus
Solennes agitent choros,
Cessent deposito iugo
Arui fertilis incolæ,
Pax est Herculea manu
Auroram inter, & hesperum,
Et qua sol medium tenens
Vmbras corporibus negat.
Quodcunq; abluitur solum
Longo Tethyos ambitu,
Alcidæ domuit labor.
Transuectus uada Tartari

Pacatis redit inferis.
Iam nullus superest timor,
Nil ultra iacet inferos,
Stantes sacrificus comas
Dilecta tege populo.

ACTVS QVARTVS.

Quartus actus huius tragœdiæ est quomodo Hercules sacrificando pro uictoria habita de Lyco & orando uersus est in furiam. Et diuiditur iste actus in duas partes, quia primo agitur de furia Herculis & de ijs quæ gessit in furia, secundo ponitur carmen chori deplorantis infortunium Herculis: ibi. Lugeat æther. Continet hoc carmen tria, quia primo Hercules disponit sacrificium pro uictoria Lyci, secundo agit de furia quam orando incurrit: ibi. Finiat genitor. tertio de furia & actis in furia: ibi. Quod subitum. Inducuntur in hoc carmine quatuor personæ, quas effigiabant quatuor mimi, scilicet Hercules, amicus Theseus, pater Amphitryon, & uxor Megara. Sed primo inducitur Hercules narrans uictoriam quam de Lyco habuit & suis, secundo hortatur suos ad sacrificandum: ibi. Nunc sacra. Quoniam ad primum dicit: Lycus.

Trimetri Iambici.

HERCVLES. THESEVS. AMPHITRYON. MEGARA.

VLtrice dextra fusus * aduersam Lycus *aduerso
Terram cecidit ore: tum quisquis comes
Fuerat tyranni, iacuit, & pœnæ comes.
Nunc sacra patri uictor, & superis feram,
Cæsisq; meritas uictimis aras colam.
Te te laborum socia, & adiutrix precor
Belligera Pallas, cuius in læua ciet
Aegis feroces ore saxifico minas.
Adsit Lycurgi domitor, & rubri maris
Tectam uirenti cuspidem thyrso gerens,
Geminumq; numen, Phœbus, & Phœbi soror,
Soror sagittis aptior, Phœbus lyræ,
Fraterq; quisquis incolit cœlum meus,
Non ex nouerca frater: huc appellite
Greges opimos, quicquid Indorum seges,
Arabesq; odoris quicquid arboribus legunt,
Conferte in aras, pinguis exudet uapor,
Populea nostras arbor exornet comas,
Te ramus oleæ fronde gentili tegat
Theseu: tonantem nostra adorabit manus.
TH. Dij conditores urbis, & syluestria
Trucis antra Ceti, nobiles Dirces aquas,
Laremq; regis qui aduenæ Tyrium colis,

Date

Date thura flammis. AM. Nate manantes prius
Manus cruenta cæde, & hostili expia.
HER. Vtinam cruorem capitis inuisi deis
Libare possem, gratior nullus liquor
Tinxisset aras: uictima haud ulla amplior
Potest, magisq; opima mactari Ioui,
* tuus Quàm rex iniquus. AM. Finiat genitor * tuos
Opta labores, detur aliquando otium,
Quiesq; fessis. HER. Ipse concipiam preces
Ioue, meq; dignas, stet suo cœlum loco,
Tellusq; & æther, astra inoffensa agant
Aeterna cursus, alta pax gentes alat,
Ferrum omne teneat ruris innocui labor,
Ensesq; lateant, nulla tempestas fretum
Violenta turbet, nullus irato Ioue
Exiliat ignis, nullus hyberna niue
Nutritus agros amnis euersos trahat,
Venena cessent, nulla nocituro grauis
Succo tumescat herba, non sæui, ac truces
Regnent tyranni, si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet, &, si quod parat
Monstrum, meum sit: sed quid hoc? medium diem
Cinxere tenebræ, Phœbus obscuro meat
* quis Sine nube uultu: * quid diem retro fugat,
Agitq; in ortus? unde nox atrum caput

Ignota

Ignota profert? unde tot stellæ polum
Implent * diurnæ? primus en noster labor | * diurnum
Cœli refulget parte non minima Leo,
Iraq; totus feruet, & morsus parat.
Iam rapiet aliquod sydus, ingenti minax
Stat ore, & ignes efflat, & rutilat, * iubam | * iubas
Ceruice iactans, quicquid autumnus grauis,
Hyemsq; gelido frigida spatio refert,
Vno impetu transiliet, & uerni petet,
* Frāgetq; Tauri colla. AM. Quod subitū hoc malū est? | * Frangere tauri
Quò nate uultus huc, & huc acres refers?
Acieq; falsum turbida cœlum uides?
HER. Perdomita tellus, tumida cesserunt freta,
Inferna nostros regna sensere impetus,
Immune cœlum est, dignus Alcidæ labor.
In alta mundi spatia sublimis ferar,
Petatur æther, astra promittit pater,
Quid si negaret? non capit terra Herculem,
Tandemq; superis reddit, en ultro uocat
Omnis deorum cœtus, & laxat fores,
Vna uetante: recipis & reseras polum?
An contumacis ianuam mundi traho
Dubitatur etiam? uincla Saturno exuam,
Contraq; patris impij regnum impotens
Auum resoluam: bella Titanes parent

Me du-

Me duce furentes: saxa cum syluis feram,
Rapiamq; dextra plena Centauris iuga.
Iam monte gemino limitem ad superos agam.
Videat sub Ossa Pelion Chiron suum,
In cœlum Olympus tertio positus gradu
Perueniat, aut mittatur. AM. Infandos procul
Auerte sensus, pectoris sani parum,
Magni tamen, compesce dementem impetum.
* pestiferi HER. Quid hoc? gigantes arma * pestifera mouent,
Profugit & umbras Tityus, ac lacerum gerens
Et inane pectus, quàm propè à cœlo stetit:
Labat Cithæron, alta Pallenæ tremit,
Marcentq; Tempe, rapuit hic Pindi iuga,
Hic rapuit Oethen, sæuit horrendum Mimas,
Flammifera Erinnys uerbere excusso sonat,
Rogisq; adustas propius, ac propius sudes
In ora tendit: sæua Tesiphone caput
Serpentibus uallata post raptum Canem,
Portam uacantem clausit opposita face:
Sed ecce proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen, inuiso patri
Hæc dextra iam uos reddet, excutiat leues
Neruus sagittas, tela sic mitti decet
Herculea. AM. Quò se cœcus inuergit furor?
Vastum coactis flexit arcum cornibus,

Phare-

Pharetramq; soluit, stridit emissa impetu
Arundo, medio spiculum collo fugit
Vulnere relicto. HER. Cæteram prolem eruam,
Omnesq; latebras, quid moror? maius mihi
Bellum Mycenis restat, ut Cyclopea
Euersa manibus saxa nostris concidant.
Huc eat & illuc aula disiecto obice,
Rumpatq; postes, columem impulsum labet:
Procumbat omnis regia: hic uideo abditum
Gnatum scelesti patris. AM. En blandas manus
Ad genua tendens uoce miseranda rogat.
Scelus nefandum, triste, & aspectu horridum,
Dextra precantem rapuit, & circa furens
Bis, ter rotatum misit: ast illi caput
Sonuit, cerebro terra disperso madet.
At misera paruum protegens natum sinu
Megara furenti similis è latebris fugit.
HER. Licet tonantis profuga condaris sinu,
Petet undecunq; temet hæc dextra, & feret.
AM. Quò misera pergis? quã fugam, aut latebras petis?
Nullus salutis Hercule * infenso est locus: * infesto
Amplectere ipsum potius, & blanda prece
Lenire tenta. ME. Parce iam coniunx precor,
Agnosce Megaram, natus hic uultus tuos,
Habitusq; reddit: cernis, ut tendat manus?

HER.

HER. Renuo nouercam, sequere, da pœnas mihi
Iugoq́; pressum libera turpi Iouem:
Sed ante matrem paruulum hoc monstrum auferam.
*fundens ME. Quò tendis amens? sanguinem * fundes tuum?
AM. Pauefactus infans igneo uultu patris
Perit ante uulnus, spiritum rapuit timor.
In coniugem nunc claua libratur grauis,
Perfregit ossa, corpori trunco caput
Abest, nec usquam est: cernere hoc audes nimis
Viuax senectus, si piget luctus, habes
Mortem paratam, pectus in tela indue,
Vel stipitem istum, cæde monstrorum illitum,
Conuerte falsum, ac nomini turpem tuo
Remoue parentem, ne tuæ laudi obstrepet.
TH. Quò te ipse genitor morti obuium ingeris?
Quò pergis amens? profuge, & obtectus late,
Vnumq́; manibus aufer Herculeis scelus.
HER. Bene habet, pudendi regis excisa est domus.
Tibi hunc dicatum maximi coniunx Iouis
Gregem cecidi, uota persolui libens
Te digna, & Argos uictimas alias dabit.
AM. Nondum litasti nate, consuma sacrum.
Stat ecce ad aras hostia expectat manum
Ceruice prona, præbeo, occurro, insequor.
Macta, quid hoc est? errat acies luminum,

Visusq; mœror hebetat? an uideo Herculis
Manus trementes? uultus in somnum cadit,
Et fessa ceruix capite summisso labat,
Flexo genu iam totus ad terram ruit,
Vt cæsa syluis ornus, aut portus mari
Datura moles: uiuis? an leto dedit
Idem, tuos qui misit ad mortem, furor?
Sopor est, reciprocos spiritus motus agit,
Detur quieti tempus, ut somno grauis
Vis uicta morbi pectus oppressum leuet.
Remouete famuli tela, ne repetat furens.

CHORVS.

Anapæstici, Adonij duo.

LVgeat æther, magnusq; parens
Aetheris alti, tellusq; ferax,
Et uaga ponti mobilis unda.
Tuq; ante omnes, qui per terras,
Tractusq; maris fundis radios,
Noctemq; fugas ore decoro,
Feruide Titan: obitus pariter
Tecum Alcides uidit, & ortus,
Nouitq; tuas utrasq; domos.
Soluite tantis animum monstris,

Soluite superi, rectam in melius
Flectitie mentem: tuq; ô domitor
*malorum Somne * laborum, requies animi,
Pars humanæ melior uitæ,
*uolucre * Volucer matris genus Astreæ,
Frater duræ languide mortis,
Veris miscens falsa, futuri
Certus, & idem pessimus autor,
Pater ô rerum, portus uitæ,
Lucis requies, noctisq; comes,
*famuliq; Qui par regi, * famuloq; uenis,
Placidus fessum, lenisq; foues
Pauidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem.
Preme deuictum torpore graui,
Sopor indomitos alliget artus
Nec torua prius pectora linquat,
Quàm mens repetat pristina cursum.
En fusus humi sæua feroci
Corde uoluta somnia, nondum est
Tanti pestis superata mali,
Clauæq; graui lassum solitus
Mandare caput, quærit uacua
Pondera dextra, motu iactans
Brachia uano, nec adhuc omnes

Expulit

Expulit æstus: sed, ut ingenti
Vexata Noto seruat longos
Vnda tumultus, & iam uento
Cessante tument: pelle insanos
Fluctus animi, redeat pietas,
Virtusq; uiro, uel sit potius
Mens uesaho concita motu,
Error cæcus, quà cœpit, eat.
Soluite iam præstare potest
Furor insontem: proxima puris
Sors est manibus nescire nefas.
Nunc Herculeis percussa sonent
Pectora palmis, mundum solitos
Ferre lacertos uerbera pulsent
Victrice manu: gemitus uastos
Audiat æther, audiat atri
Regina poli, uastisq; ferox
Qui colla gerit uincta catenis
Imo latitans Cerberus antro.
Resonet mœsto clamore chaos,
Latiq; patens unda profundi.
Et, qui melius tua tela tamen
Senserat, æther.
Pectora tantis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda leui.

Vno planctu tria regna sonent,
Et tu collo decus, ac telum
Suspensa diu, fortis arundo,
Pharetræq; leues, date sæua fero
Verbera tergo: cedant humeros
Robora fortes, stipesq; potens
Duris oneret pectora nodis:
Plangant tantos arma dolores.
Non uos patriæ laudis comites,
Vlti sæuo uulnere reges,
Non argiua membra palæstra,
* forti Flectere * docti fortes cæstu,
Fortesq; manu, iam tamen ausi
Telum Scythici leue Corithi
Missum certa librare manu,
Tutosq; fuga figere ceruos,
Nondumq; feræ terga iubatæ.
Ite ad Stygios umbræ portus,
Ite innocuæ, quas in primo
Limine uitæ scelus oppreßit,
Patriusq; furor, ite infaustum
Genus, ô pueri noti, per iter
Triste laboris:
Ite iratos uisite reges.

ACTVS

ACTVS QVINTVS.

Carmen decimum, quod ultimum est, describitur metro iambico archiloico, ponitur actus quintus huius tragoediæ & est reuersio Herculis ad mentem suam dolentis super cõmissis. Et primo inducitur Hercules inquirens de cæde facta & ad uindicandum inexardescens, secundo cognoscens se nocentem & occidere se uolens: ibi. Misere, tertio à suæ morte desistens, fugam tamen & latibulum quęrens: ibi. Iam parce. Præcipueq; tria hic tractantur, quia primo quasi ignorans quærit ubi sit, secundo cædem suorũ iam factam animaduertit: ibi. Certe redimus, tertio de ijs quæ sunt inquirit: ibi. Vbi est parẽtis. Quantũ ad primum, dicit: Quis hic locus, quæ regio, quæ &c.

Trimetri Iambici.

HERCVLES. AMPHITRYON. THESEVS.

QVis hic locus? quæ regio? quæ mundi plaga?
Vbi sum? sub ortu solis, an sub cardine
Glacialis ursæ? nunquid Hesperij maris

Extrema tellus hunc dat oceano modum?
Quas trahimus auras? quod solum fesso subest?
Certe redimus, unde prostrata domo
Video cruenta corpora: an nondum exuit
Simulachra mens inferna? post reditus quoq;
Oberrat oculos turba feralis meos,
Pudet fateri, paueo, nescio quod mihi,
Nescio quod animus grande præsagit malum,
Vbi est parens? ubi illa natorum grege
Animosa coniunx? cur latus læuum uacat
Spolia leonis? quonam abijt tegmen meum?
Idemq; somno mollis Herculeo torus?
Vbi tela? ubi arcus? arma quis uiuo mihi
Detrahere potuit? spolia quis tanta abstulit?
Ipsumq; quis non Herculis somnum horruit?
Libet meum uidere uictorem, libet:
Exurge uictor, quem nouum cœlo pater
Genuit relicto? cuius incestu stetit
Nox longior, quàm nostra: quod cerno nefas?
Nati cruenta cæde confecti iacent:
Perempta coniunx, quis Lycus regnum obtinet?
Quis tanta Thebis scelera moliri ausus est
Hercule reuerso? quisquis Ismeni loca,
Actea quisquis arua, qui gemino mari
Pulsata Pelopis regna Dardanij colis,

Sucurre

Succurre, sæue cladis * actorem indica, * autorem
Ruat ira in omnes: hostis est, quisquis mihi
Non monstrat hostem: uictor Alcide lates?
Procede, seu tu uindicas currus truces
Thracis cruenti, * siue Geryonis pecus, * seu tu
Libyæue dominos, nulla pugnandi mora est.
En nudus asto, uel meis armis licet
Petas inermem: cur meos Theseus fugit
Pa[illegible]q; uultus? ora cur condunt sua?
Differte fletus, quis meos dederit neci
Omes simul pro[illegible]e, qui genitor siles?
At tu ede Theseu, sed tua Theseu fide,
Vterq; tacitus ora pudibunda obtegit,
Furtimq; lachrymas fundit, in tantis malis
Quid est pudendum? nunquid Argiuæ potens
Dominator urbis? nunquid infestum Lyci
Parentis agmen clade nos tanta obruit?
Per te meorum facinorum laudem precor
Genitor, tuiq; nominis semper mihi
Numen secundum, fare, quis fudit domum?
Cui præda iacui? AM. Tacita sic abeant mala.
HER. Vt inultus ego sim. AM. Sæpe uindicta obfuit.
HER. Quisquam ne segnis tanta tollerauit mala?
AM. Maiora quisquis timuit. HER. Hijs etiam pater
Quidquam timeri maius, aut grauius potest?

AM. Cladis tuæ pars iſta, quam noſti, quota eſt?
HER. Miſerere genitor, ſupplices tendo manus,
Quid hoc? manus refugit, hic errat ſcelus.
Vnde hic cruor? quid illa puerili madens
Arundo leto, tincta Lernæa nece?
Iam tela uideo noſtra, non quæro manum.
*Quæ *Quis potuit arcum flectere? aut quæ dextera
Sinuare neruum uix recedentem mihi?
Ad uos reuertor genitor, hoc noſtrum eſt ſcelus?
Tacuere, noſtrum eſt. AM. Luctus eſt iſtic tuus,
Crimen nouercæ, caſus hic culpa caret.
HER. Nunc parte ab omni genitor iratus tona,
Oblite noſtri uindica ſera manu
Saltem nepotes, ſtelliger mundus ſonet,
Flammasq; & hic, & ille iaculetur polus,
Rupes ligatum Caſpiæ corpus trahant,
Atq; ales auida: cur Promethei uacant
Scopuli? paretur uertice immenſo feras,
Volucresq; paſcens Caucaſi abruptum latus,
Nudumq; ſyluis: illa, quæ pontum Scythen
Symplegas arctat, hinc & hinc uinctas manus
Diſtendat alto, cumq; reuocata uice
In ſe coibunt, ſaxaq; in cœlum expriment
Actis utrinq; rupibus, medium mare
Ego inquieta montium iaceam mora.

Quin structum aceruans nemore congesto aggerem
Cruore corpus impio sparsum cremem?
Sic sic agendum est, inferis reddam Herculem.
AM. Nondum tumultu pectus attonitum caret,
Mutauit iras: quodq; habet proprium furor,
In seipse * sæuit. HER. Dira furiarum loca, * furit
Et inferorum carcer, & sonti plaga
Decreta turbæ, & si quod exilium latet
Vlteri[illegible] Erebo, Cerbero ignotum, & mihi,
Huc me abde tellus, Tartari ad finem ultimum
Mansurus ibo, pect[illegible] ô nimium ferum:
Quis uos per omnem liberi sparsos domum
Deflere digne poterit? hic durus malis
Lachrymare uultus nescit, huc ensem date,
Date huc sagittas, stipitem uastum date.
Tibi tela frangam nostra, tibi nostros puer
Rumpemus arcus, ac tuis stipes grauis
Ardebit umbris, ipsa Lernæis frequens
Pharetra telis in tuos ibit rogos.
Dent arma pœnas, uos quoq; infaustas meis
Cremabo telis ô nouercales manus.
TH. Quis nomen unquam sceleris errori indidit?
HER. Sæpe error ingens sceleris obtinuit locum.
TH. Nunc Hercule opus est, perfer hanc molem mali.
HER. Non sic furori cessit extinctus pudor,

Populos ut omnes impio aspectu fugem.
Arma, arma Theseu, flagitio propere mihi
Subtracta reddi, sana si mens est mihi,
Referte manibus tela, si remanet furor,
Pater recede, mortis inueniam uiam.
AM. Per sancta generis sacra, per ius nominis
Vtrunq; nostri, siue me altorem uocas,
Seu tu parentem, perq; uenerandos pijs
Canos, senectæ parce desertæ precor,
Annisq; fessis, unicum lapsæ domus
Firmamen, unum lumen afflicto malis
Temet reserua, nullus ex te contigit
Fructus laborum, semper aut dubium mare,
* furit Aut monstra timui: quisquis in toto * fuit
Rex seuus orbe, manibus, aut aris nocens,
A me timetur, semper absentis pater
Fructum tui, tactumq;, & aspectum peto.
HER. Cur animam in ista luce detineam amplius,
Moreríq;, nihil est, cuncta iam amisi bona,
Mentem, arma, famam, coniugem, natos, manus,
Etiam furorem: nemo polluto queat
Animo mederi, morte sanandum est scelus
THE. Perimes parentē? HE. Facere ne possim, occidā.
Genitore coram. HE. Cernere hunc docui nefas.
AM. Memoranda potius omnibus facta intuens,

Vnius à te criminis ueniam peto.
HER. Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit?
Laudanda feci iussus, hoc unum meum est.
Succurre genitor, siue te pietas mouet,
Seu triste fatum, siue uiolatæ decus
Virtutis, effer arma, uincatur mea
Fortuna dextra. TH. Sunt quidem patriæ preces
Satis efficaces, sed tamen nostro quoq;
Mouere fletu: surge, & aduersa impetu
Perfringe solido: nunc tuum nulli imparem
Animum malo resume, nunc magna tibi
Virtute agendum est, Herculem irasci ueta.
HER. Si uiuo, feci scelera: si morior, tuli:
Purgare terras propero, iamdudum mihi
Monstrum impium, sæuumq; & immite, ac ferum
Oberrat agedum dextra conare aggredi
Ingens opus, labore bisseno amplius:
Ignaue cessas, fortis pueros in modo,
Pauidamq; matrem? arma nisi dentur mihi,
Aut omne Pindi Thracis excidam nemus,
Bacchiq; lucos, & Cithæronis iuga
Mecum cremabo: tota cum domibus suis,
Dominisq; tecta, cum deis templa omnibus
Thebana, supra corpus excipiam meum:
Atq; urbe uersa condar, &, si fortibus

Leue

* incident, Leue pondus humeris mœnia immissa * excident,
Septemq; opertus non satis portis premar,
Onus omne media parte qua mundus sedit,
Dirimitq; superos, in meum uertam caput.
Redde arma. A M. Vox est digna genitore Herculis.
T H. Hoc en peremptus spiculo cecidit puer,
Hoc Iuno telum manibus emisit tuis,
Hoc nunc ego utar. A M. Ecce quàm miserum metu
Cor palpitat, corpusq; sollicitum ferit,
Aptata arundo est, ecce iam facies scelus
Volens, sciensq;: pande, quid fieri iubes?
H E R. Nihil rogamus, noster in tuto est dolor.
A M. Natum potes seruare, tu solus mihi
Theseu, ipse necdum maximum euasi metum.
Miserum haud potes me facere, felicem potes.
Sic statue quicquid statuis, ut causam tuam,
Famamq; in arcto stare, & ancipiti scias,
Aut uiuis, aut occidis, hanc animam leuem,
Feßamq; senio, nec minus quassam malis
In ore primo teneo: tam tarde patri
Vitam dat aliquis? non feram ulterius moram,
Letale ferro pectus impresso induam,
Hic hic iacebit Herculis sani scelus.
H E R. Iam parce genitor, parce, iam reuoca manum,
Succumbe uirtus, perfer imperium patris.

Eat

Eat ad labores hic quoq; Herculeos labor.
Viuamus, artus alleua afflictos solo
Theseu parentis, dextra contactus pios
Scelerata refugit. AM. Hanc manū amplector libens.
Hac nixus ibo pectori, hanc ergo admouens,
Pellam dolores. HER. Quem locum profugus petam?
Vbi me recondam? quaúe tellure obruam?
Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica
Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagusúe Ibera turbibus gaza fluens,
Abluere dextram potuit? Arctoum licet
Mæotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus,
* Hærebit altum facinus: in quas impius * Habebāt
Terras recedes? ortum, an occasum petes?
Vbiq; notus perdidi exilio locum,
Me refugit orbis, astra transuersos agunt
Obliqua cursus, ipse Titan Cerberum
Meliore uultu uidit: ô fidum caput
Theseu latebram quære longinquam, abditam.
Quicunq; semper sceleris alieni arbiter
Amat nocentes, gratiam meritis refer,
Vicemq; nostris, redde me infernis precor
Vmbris reductum, meq; subiectum tuis
Restitue uinclis: ille me abscondet locus.

Sed & ille nouit. THE. *Nostra te tellus manet*
Illic solutam cæde gradiuus manum
Restituit armis, illa te Alcide uocat,
Facere innocentes terra, quæ superos solet.

TRAGOEDIAE INTER
LOCVTORES.

Tantalus.
Atreus.
Thyestes.
Nuntius.
Megara.
Seruus.
Phylisthenes.
Chorus.

TRAGOEDIA SECVNDA QVAE INSCRIBITVR THYESTES.

Quid in quolibet actu huius tragœdiæ tractetur.

Continet aũt hæc tragœdia quinqꝫ actus, quorum primus eſt incitatio fratrum ad ſcelus & diſcordiam. Secundus actus eſt deliberatio Atrei de ſcelere cum ſeruo committendo in fratrem. Tertius actus eſt reditus Thyeſtis in patriam & receptio eius à fratre Atreo. Quartus & quintus actus eſt de conuiuio facto Thyeſti, & de appoſitione filiorum ſuorum.

Primi actus huius tragœdiæ argumentum.

In primo actu duo, quia primo agit de odio accenſo inter fratres, ſecundo inducitur chorus plangens nequitiam ſtirpis Tantalidis: ibi. Argos. Primo autem inducit Tantalũ renitentẽ & Megarã urgentẽ alternatim, ſecũdo Tantalũ magne parentẽ: ibi. Quid ora. Atqꝫ inducit Tantalus plangẽs aſcenſum ſuũ de inferno & dicit: Quis furor.

Trimetri Iambici.

TANTALVS. MEGARA.



Vis me furor nunc ſede ab infauſta ab-
ſtrahit
Auido fugaces ore captantem cibos?
Quis male deorũ Tantalo uiuas domos
Oſtendit iterum? peius inuentum eſt ſiti
Arente in undis aliquid, & peius fame
Hiante ſemper? Siſyphi nunquid lapis
Geſtandus humeris lubricus noſtris uenit?
Aut membra celeri differens curſu rota?
Aut pœna Tityi ſemper accreſcens iecur
Viſceribus atras paſcit effoßis aues?
Et nocte reparans quicquid amiſit die,
Plenum recenti pabulum monſtro iacet?
In quod malum tranſcribor? ô quiſquis noua
Supplicia functis durus umbarum arbiter
Diſponis, adde ſi quid ad pœnas potes,
Quod ipſe cuſtos carceris diri horreat,
Quod mœſtus Acheron paueat, ad cuius metum
Nos quoq; tremamus: quære, iam noſtra ſubit
E ſtirpe turba, quæ ſuum uincat genus,
Ac me innocentem faciat, & inauſa audeat,
Regione quicquid impia ceſſat loci

Comple

Complebo, nunquam ſtante Pelopeia domo
Minos uacabit. ME. Perge deteſtabilis
Vmbra, & penates impios furijs age.
Certetur omni ſcelere, & alterna uice
Stringantur enſes, nec ſit irarum modus,
Pudorúe, mentes cæcus inſtiget furor,
Rabies parentum duret, & longum nefas
Eat in nepotes: nec uacet cuiquam uetus
Odiſſe crimen, ſemper oriatur nouum,
Nec unum in uno: dumq; punitur, ſcelus
Creſcat: ſuperbis fratribus regna excidant,
Repetantq; profugos: dubia uiolentæ domus
Fortuna reges inter incertos labet:
Miſer ex potente fiat, ex miſero potens,
Fluctuq; regnum caſus aßiduo ferat:
Ob ſcelera pulſi, cum dabit patriam deus,
In ſcelera redeant, ſintq; tam inuiſi omnibus,
Quàm ſibi, nihil ſit ira quod uetitum putet.
Fratrem expaueſcat frater, & natum parens,
Gnatusq; patrem, liberi * pereant male. * pareant
Peius tamen naſcantur, immineat uiro
Infeſta coniunx, bella trans pontum uehant,
Effuſus omnes irriget terras cruor,
Supraq; magnos gentium exultet duces
Libido uictrix: impia ſtuprum in domo

Leuißimum sit: fratris & fas, & fides,
Ius'q; omne pereat: non sit à uestris malis
Immune cœlum, cum micant stellæ polo,
Flammæ'q; seruant debitum mundo decus:
Nox atra fiat, excidat cœlo dies.
Misce penates, odia, cædes, funera.
Accerse, & imple scelere Tantaleam domum.
Ornetur altum columen, & lauro fores
Lætæ uirescant, dignus aduentu tuo
Splendescat ignis, Thracium fiat nefas
Maiore numero: dextra cur patrui uacat?
Nondum Thyestes liberos deflet suos?
Ecquando tollet ignibus iam subditis
Spumante aheno? membra per partes eant
Discerpta, patrios polluat sanguis focos,
Epulæ instruantur, non noui sceleris tibi
Conuiua uenies, liberum dedimus diem,
Tuam'q; ad ista soluimus mensas famem.
Ieiunia exple, mistus in Bacchum cruor
Spectante te potetur: inueni dapes,
Quas ipse fugeres: siste, quò præceps ruis?
TAN. Ad stagna, & amnes, & recedentes aquas,
Labris'q; ab ipsis arboris plenæ fugas,
Abire in atrum carceris liceat mei
* uidear Cubile, liceat, si parum * uideor miser,
Mutare

Mutare ripas: alueo medius tuo
Phlegethon relinquar igneo cinctus freto.
Quicunq; pœnas lege fatorum datas
Pati iuberis, quisquis exeso iaces
Pauidus sub antro, quiq; uenturi times
Montis ruinam, quisquis auidorum feros
Rictus leonum, & dira furiarum agmina
Implicitus horres, quisquis immissas faces
Semiustus abigis, Tantali uocem excipe
Properantis ad uos, credite experto mihi.
Amate pœnas: quando continget mihi
Effugere superos? ME. Ante perturba domum,
Inferq; tecum prælia, & ferri malum
Regibus amorem, concute insano ferum
Pectus tumultu. TAN. Me pati pœnas decet,
Non esse pœnam mittor, ut dirus uapor
Tellure rupta, * uel grauem populis luem   * ut
Sparsura pestis, ducam in horrendum nefas
Auus nepotes? magne diuorum parens,
Nosterq;, quamuis pudeat, ingenti licet
Taxata pœna lingua crucietur, * loquar: * loquor
Nec hoc tacebo, moneo, ne sacra manus
Violata cæde, neue furiali malo
Aspergat aras, stabo, & arcebo scelus.
Quid ora terres uerbere, & tortos ferox

* infimis Minaris angues? quid famem infixam * intimis
Agitas medullis? flagrat incensum siti
Cor, & perustis flamma uisceribus micat.
ME. Sequor, nunc ô furorem diuide in totam domum.
Sic sic ferantur, & suum infensi inuicem
Sitiant cruorem: sensit introitus tuos
Domus, & nefando tota contactu horruit.
Actum est abunde, gradere ad inferos specus
Amnemq́; notum, iam tuo mœstæ pede
Terræ grauantur: cernis ut fontes liquor
Introrsus actus linquat? ut ripæ uacent,
Ventusq́; raras igneus nubes ferat?
Pallescit omnis arbor, ac nudus stetit
Fugiente pomo ramus: & qui fluctibus
Illinc propinquis Isthmos, atq; illinc fremit,
Vicina gracili diuidens terra uada
Longe remotos latus exaudit sonos.
Iam Lerna retrocessit, & Phoronides
Latuere uenæ, nec suas profert sacras
Alpheus undas, & Cithæronis iuga
Stant parte nulla cana deposita niue,
Timentq́; ueterem nobiles Argi sitim:
En ipse Titan dubitat, an iubeat sequi,
Cogatq́; habenis ire periturum diem.

CHO-

CHORVS.

Choriambici Asclepiadei.

ARgos de superis si quis Achaicum,
Pisæasq; domos turribus inclytas,
Isthmi siquis amat regna Corinthij,
Et portus geminos, & mare dissidens:
Siquis Taygeti conspicuas niues,
Quas cum Sarmaticus tempore frigido
In summis Boreas composuit iugis,
Aestas ueliferis soluit Etesijs,
Quem tangit gelido flumine lucidus
Alpheus, stadio notus olympico.
Aduertat placidum numen, & arceat
Alternæ scelerum ne redeant uices,
Neu succedat auo deterior nepos,
Et maior placeat * culpa minoribus. * cura
Tandem lassa feros exuat impetus
Sicci progenies impia Tantali:
Peccatum satis est, fas ualuit nihil:
Aut commune nefas, proditus occidit
Deceptor dominæ Myrtilus, & fide
Vectus * qua tulerat, nobile reddidit * quam
Mutato pelagus nomine: notior
Nulla est Ionijs fabula nauibus.
Exceptus gladio paruulus impio

Dum currit patrium natus ad osculum,
Immatura focis uictima concidit,
Diuisusq́; tua est Tantale dextera,
Mensas ut strueres hospitibus deis.
Hos æterna fames persequitur cibos,
Hos * æterna sitis, nec dapibus feris — * Os æterne sitit
Decerni potuit pœna decentior:
Stat lusus uacuo gutture Tantalus,
Impendet capiti plurima noxio
Phineis auibus præda fugacior.
Hinc illinc grauidis frondibus incubat,
Et curuata suis fœtibus, ac tremens
Alludit patulis arbor hiatibus.
* Hæc quamuis auidus, nec patiens moræ, — * Nec
Deceptus toties tangere negligit,
Obliquatq́; oculos, oraq́; comprimit,
Inclusisq́; famem dentibus alligat:
* Sed tunc diuitias omne nemus suas — * Et
Demittit propius, pomaq́; desuper
Insultant folijs mitia languidis,
Accenduntq́; famem, quæ iubet irritas
Exercere manus: has ubi protulit,
Et falli libuit, totus in arduum
Autumnus rapitur, syluaq́; mobilis.
Instat deinde sitis non leuior fame,

Qua cum percaluit ſanguis, & igneis
Exarſit facibus, ſtat miſer obuios
Fluctus ore uocans, quos profugus latex
Auertit, ſterili deficiens uado,
Conantemq́; ſequi deſerit: hic bibit
Altum de rapido gurgite puluerem.

ACTVS SECVNDVS.

In carmine tertio, quod ſcribitur trimetro iambico, ponitur actus ſecundus huius tragœdiæ, & eſt deliberatio Atrei cum ſeruo conſcio de ſcelere in fratrem cõmittendo. Et præcipue hic duo agunt, quia primo inducit Atreus cũ ſeruo cõſcio deliberãs, ſecundo chorus in fortunã ſuperbã inuehẽs carmine quarto: ibi. Tandem regia. Primoq́; deliberat quã uindictã in fratrẽ exerceat, ſecũdo quommodo ad eã explẽdam fratris copiã habeat: ibi. Sed quibus. Ad aggrediendũ fratrẽ crudeliter animũ firmat, & qua crudelitate aggreſſurus ſit fratrẽ deliberat: ibi. Quid ſtupes. Primo aũt inducit Atreus ſeipſum ad crudelem uindictã in fratrem cõcitans, ſecũdo per modum dialogi inducitur ſeruus ſcelus diſſuadẽs, & Atreus diſſuaſiones ſerui deludẽs: ibi. Fama. Quan

tum ad primũ loquitur ad animũ suum, arguens quod se de fratre non uindicauit. Unde dicitur. Ignaue.

Trimetri Iambici.

ATREVS. SERVVS.

IGnaue, iners, eneruis, & , quod maximum
Probrum tyranno rebus in summis reor,
Inulte, post tot scelera, post fratris dolos,
Fasq; omne ruptum, quæstibus uanis agis
Iras, & Argos fremere iam totum tuis
Debebat armis, omneis & geminum mare
Innare classeis: iam tuis flammis agros,
Lucere, & urbes decuit, ac strictum undiq;
Micare ferrum, tota sub nostro sonet
Argolica tellus equite: non syluæ tegant
Hostem, nec altis montium structæ iugis
Arces, relictis bellicum totus canat
Populus Mycenis, quisquis inuisum caput
Tegit, ac tuetur, clade funesta occidat,
Hæc ipsa pollens inclyti Pelopis domus
Ruat, uel in me, dummodo in fratrem ruat.
Age animæ, fac quod nulla posteritas probet,

Sed nulla taceat, aliquod audendum est nefas
Atrox, cruentum, tale, quod frater meus
Suum esse malit: scelera non ulcisceris,
Nisi uincis, & quid esse tam sæuum potest,
Quod superet * illum? nunquid abiectus iacet? *illud
Nunquid secundis patitur in rebus modum?
Feßis quietem? noui ego ingenium uiri
Indocile, flecti non potest, frangi potest.
Proinde antequam se firmet, aut uires paret,
Petatur ultro, ne quiescentem petat.
Aut perdet, aut peribit, in medio est scelus
Positum occupanti. SER. Fama te populi nihil
Aduersa terret? ATR. Maximum hoc regni bonum est,
Quod facta domini cogitur populus sui,
Quàm ferre, tam laudare. SER. Quos cogit metus
Laudare, eosdem reddit inimicos metus.
At qui fauoris gloriam ueri petit,
Animo magis, quàm uoce laudari uolet.
ATR. Laus uera, & humili sæpe contingit uiro.
Non nisi potenti falsa, quod nolunt, uelint.
SER. Rex uelit honesta, nemo non eadem uolet.
ATR. Vbicunq; tantum honesta dominanti licent,
Precario regnatur. SER. Vbi non est pudor,
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est. ATR. Sanctitas, pietas, fides,

Priuata bona sunt, quà iuuat, reges eant.
SER. Nefas nocere uel malo fratri puta.
ATR. Fas est in illo, quicquid in fratre est nefas.
* Quod * Quid enim reliquit * crimine intactum? aut ubi
* crimen Sceleri pepercit? coniugem stupro abstulit,
Renguḿq; furto, specimen antiquum imperij
Fraude est adeptus, fraude turbauit domum.
Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus
* opimi Arcanus, Aries ductor * opulenti gregis,
Huius per omne corpus infuso coma
Dependet auro, cuius è tergo noui
Aurata reges sceptra Tantalici gerunt.
Possessor huius regnat: hunc tantæ domus
Fortuna sequitur: tuta seposita sacer
In parte carpit prata, quæ cludit lapis
Fatale saxeo pecus muro tegens.
Hunc, facinus ingens ausus, assumpta in scelus
Consorte nostri perfidus thalami auehit.
Hinc omne cladis mutuæ fluxit malum,
Per regna trepidus exul errauit mea,
Pars nulla nostri tuta ab insidijs uacat.
Corrupta coniunx, imperij quassa est fides:
Domus ægra, dubius sanguis est, certi nihil,
* Nil super * Nisi frater hostis: quid stupes? tandem incipe
est fratri Animoq; sume Tantalum, & Pelopem aspice:

Ad hæc manus exempla poſcuntur meæ,
Profare, dirum qua caput mactem uia.
SER. Ferro peremptus ſpiritum * inimicum expuat. * iniquum expiret
ATR. De fine pœnæ loqueris, ego pœnam uolo,
Perimat tyrannus, lenis in regno meo
Mors impetretur? SER. Nulla te pietas mouet?
ATR. Excede pietas, ſi modo in noſtra domo
Vnquam fuiſti: dira furiarum cohors,
Discorsq; Erinnys ueniat, & geminas faces
Megæra quatiens: non ſatis magno meum
Ardet furore pectus: impleri iuuat
Maiore monſtro. SER. Quid noui rabidus ſtruis?
ATR. Nil, quod doloris capiat aſſueti modum.
Nullum relinquam facinus, & nullum eſt ſatis.
SER. Ferrum? ATR. Parum eſt. SER. Quid ignis?
ATR. Etiamnum parum eſt.
SER. Quonam ergo telo tantus utetur dolor?
ATR. Ipſo Thyeſte. SER. Maius eſt ira hoc malũ.
ATR. Fateor, tumultus pectora attonitus quatit,
Penitusq; uoluit: rapior, & quò, neſcio.
Sed rapior, imo mugit è fundo ſolum,
Tonat dies ſerenus, ac totis domus
Vt fracta, tectis crepuit, & moti lares
Vertere uultum, fiat hoc, fiat, nefas,

Quod

Quod dij timetis. SER. Facere quid tandem paras?
ATR. Nescio quid animus maius, & solito amplius,
* timet Supráq; fines moris humani * tumet.
Instatq; pigris manibus, haud, quid sit, scio.
* age Sed grande quiddam est, ita sit, hoc * anime incipe,
Dignum est Thyeste facinus, & dignum Atreo.
Vterq; faciat, uidit infandas domus
Odrysia mensas, fateor, immane est scelus,
Sed occupatum: maius hoc aliquid dolor
Inueniat, animum filij inspira parens.
Sororq; causa est similis: aßiste, & manum
Impelle nostram, liberos auidus parens,
Gaudensq; laceret, & suos artus edat.
Bene est, abunde est, hic placet pœnæ modus,
Tantisper ubi nam est? tam diu cur innocens
Versatur Atreus? tota iam ante oculos meos
Imago cædis errat, ingesta orbitas
In ora patris, anime quid rursus times?
Et ante rem subsidis? audendum est, age.
Quod est in isto scelere præcipuum nefas,
* faciet Hoc ipse * faciat SER. Sed quibus captus dolis
Nostros dabit perductus in laqueos pedem?
Inimica credit cuncta. ATR. Non poterit capi,
Nisi capere uellet: regna nunc sperat mea:
Hac spe minanti fulmen occurrat Ioui,

Hac

Hac spe subibit gurgitis tumidi minas,
Dubiumq; Libycæ Syrtis intrabit fretum,
Hac spe, quod esse maximum retur malum,
Fratrem uidebit. SER. *Quis fidem pacis dabit?*
Cui tanta credet? ATR. *Credula est spes improba.*
Gnatis tamen mandata, quæ patruo ferant,
Dabimus, relictis exul hospitijs, uagis
Regno ut miserias mutat, atq; Argos regat
Ex parte dominus: si nimis durus preces
Spernet Thyestes, liberos eius rudes,
Malisq; fessos grauibus, & faciles capi
Preces mouebunt: hinc uetus regni furor,
Illinc egestas tristis, hinc durus labor,
Quamuis rigentem tot malis subigent uirum.
SER. *Iam tempus illi fecit ærumnas leues.*
ATR. *Erras: malorum sensus accrescit die,*
Leue est miserias ferre, perferre graue.
SER. *Alios ministros consilijs istis lege.*
Peiora iuuenes facile præcepta audiunt.
In patre facient, quicquid in patruo doces,
Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.
ATR. *Vt nemo doceat fraudis, & sceleris uias,*
Regnum docebit, ne mali fiant, times.
Nascuntur, istud, quod uocas sæuum, asperum,
Agiq; dure credis, & nimium impie,

Fortasse

47

Fortasse & illic agitur. SER. Hanc fraudem scient
Nati parati: tacita tam rudibus fides
Non est in annis, detegent forsan dolos.
ATR. Tacere multis discitur uitæ malis.
* Ipsene SER. * Ipsósne, per quos fallere alium cogitas,
Falles? ATR. At ipsi crimine, & culpa uacent.
Quid enim est necesse liberos sceleri meo
Inserere? per nos odia se nostra explicent.
Male agis, recedis anime: si parcis tuis,
Parces & illi, consilij Agamemnon mei
Sciens minister fiat, & patris cliens
Menelaus adsit, prolis incertæ fides,
Ex hoc petatur scelere, si bella abnuunt,
Et gerere nolunt odia, si patruum uocant,
* turbidus Pater est, eatur: multa sed, * trepidus solet
Detegere uultus, magna nolentem, quoq;
Consilia produnt: nesciant quantæ rei
Fiant ministri, nostra tu cœpta occule.
SER. Haud sum monendus, ista nostro in pectore
* timor Fides, timorq́;, sed magis claudit * fides.

CHORVS.

Gliconicum carmen.

TAndem regia nobilis
Antiqui genus Inachi

Fratrum

Fratrum composuit minas.
Quis uos exagitat furor,
* Alternis dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi? * Alternis
Nescitis cupidi arcium,
Regno quo iaceat loco:
Regem non faciunt opes,
Non uestis Tiryæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio imponens,
Et nunquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.
Non quicquid fodit occidens,
Aut unda Tagus aurea
* Claro deuehit alue,
Non quicquid Libycis terit
Feruens area messibus.
Quem non concutiet cadens
Obliqui uia fulminis,
Non Eurus rapiens mare,
Aut sæuo rapidus freto
Ventosi tumor Adriæ:

Quem non lancea militis,
Non strictus domuit Calybs:
Qui tuto positus loco,
Infra se uidet omnia,
Occurritq; suo libens,
Fato, nec quæritur mori.
Reges conueniant licet,
Qui sparsas agitant Dacas,
Qui rubri uada littoris,
Aut gemmis mare lucidum
Late sanguineum tenent,
Aut qui Caspia fortibus
Recludunt iuga Sarmatis.
Certet Danubium licet,
Audet qui pedis ingredi,
Et quocunq; loco iacent,
Seres uellere nobiles.
Mens regum bona possidet:
Nil ullis opus est equis,
Nil armis, & inertibus
Telis, quæ procul ingerit
Parthus, cum simulat fugas.
Admotis nihil est opus
Vrbes sternere machinis
Longe saxa rotantibus:

Rex est, qui metuit nihil.
Hoc regnum sibi quisq; dat.
Stet, quicunq; uolet potens
Aulæ culmine lubrico.
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Aetas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex:
Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

ACTVS TERTIVS.

In carmine quinto continetur actus tertius, qui est reditus Thyestis in patriam, & diuiditur hęc pars in tres, quia primo ponit quomodo Thyestes regnum & potestatem fratris sui intrauit, secundo quomodo Atreus fraudulenter eum recepit, dialogo secundo huius carminis: ibi. Plagis tenet, tertio inducit chorus qui fraudem istam plangit,

carmine sexto: ibi. Credat hoc quisq;. Potissimum aūt hic quatuor tractant, quia primo inducit Thiestes ex progressu in patriā formidans, secūdo Phylisthenes cum patre disputans & ad progrediendū prouocans: ibi. Pigre qui ...: tertio iterū statū pauperē sine potestate & regno cōmendat: ibi. Mihi crede. quarto iterum Phylisthenes cōtra patrem disputādo allegat regnū non esse abnuendū: ibi. Nec abnuendum. Qua... ū ad primū notandum est q̄d Thyestes inuitatus per nepotes suos ab Atreo, ...cut supra carmine tertio ordinatum fuit, uersus fratrē suum iter arripuit, & iam quasi regnum fratris ingressus loquitur dicens: Optata patriæ tecta cerno.

Trimetri Iambici.

THYESTES. PHYLISTHEN.

OPtata patriæ tecta, & Argolicas opes,
Miserisq; summum, ac maximū exulibus bonū,
Tactum soli natalis, & patrios deos,
Si sunt tamen dij, cerno Cyclopum sacras
Turres, labore maius humano decus,
Celebrata iuueni stadia, per quæ nobilis
Palmam paterno non semel curru tuli.

Occurret

Occurret Argos, populus occurret frequens,
Sed nempe & Atreus, repete syluestres fugas,
Saltusq; densos potius, & mistam feris,
Similemq; uitam: clarius hic regni nitor
Fulgore, non est, * quod oculos falso auferat. *qui
Cum quid datur spectabis, & dantem aspice:
Modo inter illa, quæ putant cuncti aspera,
Fortis fui, lætusq;: nunc contrà in metus
Reuoluor, animus hæret, ac retro cupit
Corpus referre, moueo nolentem gradum.
PHY. Pigro (quid hoc est?) genitor incessu stupet,
Vultumq; uersat, seq; in incerto tenet.
THY. Quid anime pendes? quidue consilium diu
Tam facile torques? rebus incertißimis
Fratri, atq; regno credis? * ac metuis mala *an
Iam uicta, iam mansueta? & ærumnas fugis
Bene collocatas? esse iam miserum iuuat?
Deflecte greßum, dum licet, teq; eripe.
PHY. Quæ causa cogit genitor à patria gradum
Referre uisa? cur bonis tantis sinum
Subducis? ira frater abiecta redit,
Partemq; regni reddit, & laceræ domus
Componit artus, teq; restituit tibi.
PHY. Causam timoris, ipse quam ignoro, exigis.
Nihil timendum uideo, sed timeo tamen:

Plac et ire, pigris membra sed genibus labant,
Alioq́; quàm quò nitor, abductus feror:
Sic concitatam remige, & uento ratem
* resurgēs Aestus * resistens remigi, & uelo refert.
THY. Peruince quicquid obstat, & mentem impetu,
Reducemq́; quanta præmia expectent, uide.
Pater potes regnare. THY. Cum possim mori.
PHY. Summa est potestas. TH. Nulla, si cupias nihil.
PHY. Gnatis relinques. THY. Nō capit regnū duos.
PHY. Miser esse mauult, esse qui felix potest?
THY. Mihi crede, falsis magna nominibus placent.
Frustra timentur dura: dum excelsus steti,
Nunquam pauere destiti, atq; ipsum mei
Ferrum timere lateris: ô quantum bonum est,
Obstare nulli, capere securas dapes
Humi iacentem: scelera non intrant casam,
Tutusq́; mensa capitur angusta cibus.
Venenum in auro bibitur, expertus loquor,
Malam bonæ præferre fortunam libet:
Non uertice alti montis impositam domum,
Et eminentem ciuitas humilis tremit:
Nec fulget altis splendidum tectis ebur,
Somnosq́; non defendit excubitor meos.
Non classibus piscamur, & retro mare
Iacta fugamus mole, non uentrem improbum

Alimus tributo gentium, nullus mihi
Vltra Getas metitur, & Parthos ager:
Non thure colimur, nec meæ excluso Ioue
Ornantur aræ, nulla culminibus meis
Imposita nutat sylua, nec fumant manu
Succensa multa stagna, nec somno dies,
Bacchoq; nox ducenda peruigili datur:
Sed non timemus: tuta sine * telo est domus, *dolo
Rebusq; paruis alta præstatur quies.
Immane regnum est, posse sine regno pati.
PHY. Nec abnuendum, si dat imperium deus.
THY. Nec appetendū. PHY. Frater ut regnes rogat.
THY. Rogat? timendum est: errat hic aliquis dolus.
PHY. Redire pietas, unde summota est, solet,
Reparatq; uires iustus amissas amor.
THY. Amat Thyesten frater: ætherias prius
Perfundet Arctos pontus, & Siculi rapax
Consistet æstus unda, & Ionio seges
Matura pelago surget, & lucem dabit
Nox atra terris, ante cum flammis aquæ,
Cum morte uita, cum mari uentus fidem,
Fœdusq; iungent. PHY. Quam tamen fraudem times?
THY. Omnem: timori quem meo statuam modum?
Quantum potest tantum odit. PHY. In te quid potest?
THY. Pro me nihil iam metuo, uos facitis mihi

Atrea timendum. PHY. Decipi captus times?
Serum est cauendi tempus in medijs malis.
Eatur, unum genitor hoc hortamen est.
THY. Ego uos sequor, non duco. PHY. Respiciat deus
Bene cogitata, perge non dubio gradu.

ATREVS. THYESTES.

Trimetri Iambici.

PLagis tenetur clausa dispositis fera,
Et ipsum, & unà generis inuisi indolem
Iunctam parenti cerno, iam tuto in loco
Versantur odia: uenit in nostras manus
Tandem Thyestes, uenit & totus quidem,
Vix tempero animo, uix dolor frenos capit.
Sic, cum feras uestigat, & longo sagax
Loro tenetur umber, ac presso uias
Scrutatur ore, dum procul lento suem
Odore sentit, paret, & tacito locum
Rostro pererrat: præda cum propior fuit
Ceruice tota pugnat, & gemitu uocat
Dominum morantem, seq; retinenti eripit.
* spirat Cum * sperat ira sanguinem, nescit tegi.
Tamen tegatur, aspice, ut multo grauis
Squalore uultus obruat mœstos coma.
Quàm fœda iaceat barba, præstetur fides.

Fratrem

Fratrem iuuat uidere:complexus mihi
Redde expetitos:quicquid irarum fuit
Transierit,ex hoc sanguis,ac pietas die
Colantur,animis odia damnata excidant.
THY. Diluere possem cuncta,nisi talis fores.
Sed fateor Atreus fateor,admisi omnia
Quæ credidisti,peßimam causam meam
Hodierna pietas fecit:est prorsus nocens
Quicunq; uisus tam bono fratri est nocens.
Lacbrymis agendum est,supplicem primus uides.
Hæ te precantur pedibus * intactæ manus.
Ponatur omnis ira,& ex animo tumor
Erasus abeat,obsides fidei accipe
Hos innocentes frater. ATR. A genibus manus
Aufer,meosq; potius amplexus pete.
Vos quoq; senum præsidia tot iuuenes,meo
Pendete collo:squalidam uestem exue,
Oculisq; nostris parce,& ornatus cape
Quales mei sunt,lætusq; partem imperij
Capesse frater maior:hæc laus est mea,
Fratri paternum reddere incolumi decus.
Habere regnum casus est,uirtus dare.
THY. Dij paria frater pretia pro tantis tibi
Meritis rependant:regiam capitis notam
Squalor recusat noster,& sceptrum manus

* uictæ

Infausta refugit, liceat in media mihi
Latere turba. ATR. Recipit hoc regnum duos.
THY. Meum esse credo, quicquid est frater tuum.
AT. Quis influentis dona fortunæ abnuit?
THY. Expertus est quicunque, quàm facile effluant.
AT. Fratrem potiri gloria ingenti uetas.
Tua iam peracta gloria est, restat mea.
THY. Respuere, certum est, regna, consilium mihi.
AT. Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.
THY. Accipio, regni nomen * impositi feram. * imperiosi
Sed iura, & arma seruient mecum tibi.
AT. Imposita capiti uincla uenerando gere,
Ego destinatas uictimas superis dabo.

CHORVS.

Saphici, & unus adonius.

CREdat hoc quisquam? ferus ille, & acer,
Nec potens mentis truculentus Atreus
Fratris aspectu stupefactus hæsit.
Nulla uis maior pietate uera est,
Iurgia externis inimica durant,
Quos amor uerus tenuit, tenebit.
Ira cum magnis agitata causis
Gratiam rupit, cecinitque bellum,
Cum leues frenis sonuere turmæ,

Fulsit hinc, illinc agitatus ensis.
Quem mouet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mauors cupiens recentem,
Opprimit ferrum, manibusq; iunctis
Ducit ad pacem pietas negantes.
Otium è tanto subitum tumultu
Quis deus fecit? modo per Mycænas
Arma ciuilis crepuere belli.
Pallidæ matres * tremuere natis, * tenuere natos
Vxor armato timuit marito,
Cum manum inuitus sequeretur ensis
Sordidus pacis uitio quietæ,
Ille labentes renouare muros,
Hic situ quassas stabilire turres,
Ferreis portas cohibere claustris
Ille certabat, pauidusq; pinnis
Anxiæ nocti uigil incubabat.
Peior est bello timor ipse belli.
Iam minæ sæui cecidere ferri,
Iam silet murmur graue classicorum
Iam tacet stridor litui strepentis,
Alta pax urbis reuocata lætæ.
Sic ubi ex alto tumuere fluctus
Brutium pontum feriente Choro.
Scylla pulsatis resonat cauernis,

* in totum

Ac mare * intortum timuere nautæ,
Quod rapax haustum reuomit Charybdis,
Et ferus Cyclops metuit parentem
Rupe feruentis residens in Aetnæ,
Ne superfusis uioletur undis
Ignis ætneis resonans caminis.
Et putat mergi sua posse pauper
Regna Laërtes Ithaca tremente.
Si suæ uentis cecidere uires,
Mitius stagno pelagus recumbit.
Alta quæ nauis timuit secare
Hinc, & hinc fusis spatiosa uelis
Strata, lu..enti patuere cymbæ,
Et uacat mersos numerare pisces.
Hic, ubi ingenti modo sub procella
Cyclades pontum timuere motæ.
Nulla sors longa est, dolor, ac uoluptas
Inuicem cedunt, breuior uoluptas.
Ima permutat breuis hora summis.
Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cuius ad nutum posuere bella
Medus & Phœbi propioris Indus,
Et Dac e Parthis equitem minati,
Anxius sceptrum tenet, & mouentes

Cuncta diuitias, metuitq; casus
Mobiles rerum, dubiumq; tempus.
Vos, quibus rector maris, atq; terræ
Ius dedit * magnum necis, atq; uitæ,
Ponite inflatos, tumidosq; uultus:
Quicquid à uobis minor extimescit,
Maior hoc uobis dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.
Quem dies uidit ueniens superbum,
Hunc dies uidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsus.
Miscet hæc illis, prohibetq; Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum ut possit sibi polliceri.
Rex deus nostras celeri citatas
Turbine uersat.

* incertum

ACTVS QVARTVS.

In carmine septimo ponitur actus quartus, qui est quando filios fratris occidit & parauit carnes eorum in cibos, & hic duo aguntur, quia primo ostendit quommodo hoc fuit factum, secũdo quomodo per hoc cœlum fuit turbatum octauo carmine: ibi.

Quo terrarum. In prima parte inducuntur duæ personæ, scilicet nuncius scelus annunciãs & chorus scelus stupendo detestans, diuiditur autem in duas, primo scelus istud inquirit, secundo narratur: ibi. Animus. Circa inquisitionem sceleris primo inducitur nũcius domum Tantali cum horrore plangens: unde dicit: Quis me. &c.

Trimetri Iambici.

NVNTIVS CHORVS.

Quis me per auras turbo præcipitem uehet,
Atraq; nube inuoluet, ut tantum nefas
Eripiat oculis? ô domus Pelopi quoq;
Et Tantalo pudenda. CH. *Quid portas noui?*
NVN. *Quænã ista regio est, Sparte, & Argos impios*
Sortita fratres? & maris gemini premens
Fauces Corinthus? an feris Ister fugam
Præbens Alanis? an sub æterna niue
Hyrcana tellus? an uagi passim Scythæ?
CH. *Quis hic nefandi est conscius monstri locus?*
Effare, & istud pande, quodcunq; est malum.
NVN. *Si steterit animus, si metu corpus rigens*
Remittet artus, hæret in uultu trucis
Imago facti: ferte me insanæ procul

Illô

Illò procellæ: ferte, quo fertur dies
Hinc raptus. CH. *Animos grauius incertos tenes.*
Quid sit, quod horres, effer autorem, indica,
Non quæro quis, sed uter, effare ocyus.
NVN. *In arce summa Pelopis, una est pars domus*
Conuersa ad austros, cuius extremum latus
Aequale monti crescit, atq; urbem premit,
Et contumacem regibus populum suis
Habet, sub ictu, fulget hic turbæ capax
Immane tectum, cuius aurates trabes
*Varijs * columbæ nobiles maculis ferunt.* * columnæ
Post ista uulgo nota, quæ populi colunt,
In multa diues spatia discedit domus.
Arcana in imo regia recessu patet,
Alta uetustum ualle compescens nemus,
Penetrale regni: nulla quæ lætos solet
Præbere ramos, arbor, aut ferro coli,
Sed taxus, & cupressus, & nigra ilice
Obscura nutat sylua, quam supra eminens
Despectat alte quercus, & uincit nemus.
Hinc auspicare regna Tantalidæ solent,
*Hinc petere * laßis rebus, & dubijs opem.* * lapsis
Affixa inhærent dona, uocales tubæ,
Fractiq; currus, spolia Myrtoi maris,
Victæq; falsis axibus pendent rotæ,

Et omne

Et omne gentis facinus: hoc Phrygius loco
Fixus Tiaras Pelopis: hic præda hostium,
Et de triumpho picta barbarico chlamys.
Fons stat sub umbra tristis, & nigra piger
Hæret palude: talis est diræ Stygis
Deformis unda, quæ facit cœlo fidem.
Hic nocte tota gemere ferales deos
Fama est: catenis lucus excussis sonat,
Vlulantq; manes: quicquid audire est metus,
Illic uidetur: errat antiquis uetus
Emissa bustis turba, & insultant lo[illegible]
* Maiora noctis — * Maiore notis monstra: quin tota solet
Micare flamma sylua. & excelsæ trabes
Ardent sine igne: sæpe latratu nemus
Trino remugit: sæpe simulachris domus
Attonita magnis, nec dies sedat metum.
Nox propria luco est, & superstitio inferum
In luce media regnat: hinc orantibus
Responsa dantur certa, cum ingenti sono
Laxantur adyto fata, & immugit specus
Vocem deo soluente: quò postquam furens
Intrauit Atreus, liberos fratris trahens,
Ornantur aræ, quis queat digne eloqui?
* renodat — Post terga iuuenum nobiles * reuocat manus,
Et mœsta uitta capita purpurea ligat:

Non

Non thura desunt, non sacer Bacchi liquor,
Tangensue * salsa uictimam culter mola. *fusa
Seruatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non rite fiat. CH. Quis manum ferro admouet?
NVN. Ipse est sacerdos, ipse funesta prece
Letale carmen ore uiolento canit.
Stat ipse ad aras, ipse deuotos neci
Contrectat, & componit, & ferro admouet.
Accendit ipse, nulla pars sacri perit.
Lucus tremiscit, tota succusso solo
Nutauit aula, dubia quò pondus daret,
Ac fluctuanti similis: è læuo æthere
Atrum cucurrit limitem sydus trahens,
Libata in ignes uina mutato fluunt
Cruenta baccho: regium * capiti decus *capitis
Bis, terq; lapsum est, fleuit in templis ebur.
Mouere cunctos monstra, sed solus sibi
Immotus Atreus constat, atq; ultro * deas *deos
Terret minantes, iamq; dimissa mora
Assiluit aris, toruum, & obliquum intuens.
Ieiuna syluis qualis in gangeticis
Inter iuuencos Tigris errauit duos,
Vtriusq; prædæ cupida, quò primos ferat
Incerta morsus, flectit huc rictus suos,
Illò reflectit, & famem dubiam tenet.

Sic durus Atreus, capita deuota impiæ
Speculatur iræ, quem prius mactet ſibi,
Dubitat: ſecunda deinde quem cæde immolet.
Nec intereſt, ſed dubitat, & tantum ſcelus
Iuuat ordinare. CH. Quem tamen ferro occupat?
NVN. Primus pietati, ne deeſſe pietatem putes,
Auo dicatur, Tantalus prima hoſtia eſt.
CH. Quo iuuenis animo, quo tulit uultu necem?
NVN. Stetit ſui ſecurus, & non eſt preces
Perire fruſtra paſſus, aſt illi ferus
In uulnere enſem abſcondit, & penitus premens
Iugulo manum commiſit, educto ſtetit
Ferro cadauer: cumq; dubitaſſet diu
Hac parte, an illa caderet, in patruum cadit.
* trahit Tunc ille ad aras Phyliſthenem ſæuus * tradit,
Adicitq; fratri: colla percuſſa amputat.
Ceruice cæſa truncus in pronum ruit,
Querulum cucurrit murmure incerto caput.
CH. Quid deinde gemina cæde perfunctus facit
Puerône parcit? an ſcelus ſceleri ingerit?
NVN. Sylua iubatus qualis Armenia leo
In cæde multa uictor armento incubat
Cruore rictus madidus, & pulſa fame
Non ponit iras, hinc, & hinc tauros premens
Vitulis minatur, dente iam laſſo piger:

Non

Non aliter Atreus sæuit atq; ira tumet,
Ferrumq; gemina cæde perfusum tenens
Oblitus in quem * fureret, infesta manu — * rueret
Exegit ultra corpus: at pueri statim
Pectore receptus ensis in tergo exijt:
Cadit ille, & aras sanguine extinguens suo,
Per utrunq; uulnus moritur. CH. O sæuum scelus.
NVN. Exhorruistis? hactenus non stat nefas,
Plus est. CH. An ultra maius, aut atrocius
Natura recipit? NVN. Sceleris hunc finem putas?
Gradus est. CH. Quid ultra potuit? obiecit feris
Lanianda forsan corpora, atq; igne arcuit.
NVN. Vtinam arcuisset: ne tegat functos humus,
Ne soluat ignis, auibus epulandos licet
Ferisq; triste pabulum sæuis trahat,
Votum est sub hoc, quod esse supplicium solet.
Pater insepultos spectet, ô nullo scelus
Credibile in æuo, quodq; posteritas neget.
Erepta uiui exta * pectoribus tremunt, — * corporibus
Spirantq; uenæ, corq; adhuc pauidum salit.
At ille fibras tractat, ac fata inspicit,
Et adhuc calentes uiscerum uenas notat,
Postquam hostiæ placuere, securus uacat
Iam fratris epulis, ipse * diuisim secat — * diuisum
In membra corpus, amputat trunco tenus

Humeros patentes, & lacertorum moras,
* Atreus Denudat * artus durus, atq; ossa amputat:
Tantum ora seruat, & datas fidei manus:
Hæc ueribus hærent uiscera, & lentis data
Stillant caminis: illa flammatus latex
Querente aheno iactat: impositas dapes
Transiluit ignis, inq; crepitantes focos
Bis, ter, regestus, & pati iussus moram
Inuitus ardet, stridet in ueribus iecur,
Nec facile dicam, corpora, an flammæ gemant,
Gemuere, piceus ignis in fumos abit,
Et ipse fumus tristis, ac nebula grauis
Non rectus exit, seq; in excelsum leuat,
Ipsos penates nube deformi obsidet.
O Phœbe patiens fugeris retro licet,
Medioq; ruptum merseris cœlo diem,
* lacerat Serò occidisti, * lancinat gnatos pater,
Artusq; mandit ore funesto suos,
* coma Nitet fluente madidus unguento * comam,
Grauisq; uino: sæpe præclusæ cibum
Tenuere fauces: in malis unum hoc tuis
Bonum est Thyesta, quod mala ignoras tua.
* currus Sed & hoc peribit, uerterit * cursus licet
Sibi ipse Titan, obuium ducens iter,
Tenebrisq; facinus obruat tetrum nouis,

Nox

Nox missa ab ortu tempore alieno grauis,
Tamen uidendum est, tota patefiant mala.

CHORVS.

Anapæstici, præter unum & alterum adonium.

QVò terrarum, superûmq; parens,
Cuius ad ortus noctis opacæ,
Decus omne fugit, quò uertis iter?
Medi[illegible] diem perdis olympo?
Cur Phœbe tuos rapis aspectus?
Nondum seræ nuntius horæ
Nocturna uocat lumina uesper,
Nondum Hesperiæ flexura rotæ
Iubet emeritos soluere currus.
Nondum in noctem uergente die
Tertia misit buccina signum.
Stupet ad subitæ tempora cœnæ
Nondum fessis bobus arator:
Quid te ætherio pepulit cursu?
Quæ causa tuos limite certo
Deiecit equos? nunquid aperto
Carcere Ditis uicti tentant
Bella gygantes? nunquid Tityus
Pectore fesso renouat ueteres
Saucius iras? num reiecto

Latus explicuit monte Thyphoëus?
* sternitur Nunquid * struitur uia Phlegræos
Alta per hostes? & thessalicum
Thressa premitur Pelion Ossa?
Solitæ mundi periere uices,
Nihil occasus, nihil ortus erit.
Stupet Eoos assueta deo
Tradere frenos genitrix primæ
Roscida lucis: peruersa sui
Lumina regni: nescit fessos
Tinguere currus, nec fumantes
Sudore iubas mergere ponto.
Ipse insueto nouus hospitio,
Sol auroram uidet occiduus,
Tenebrasq; iubet surgere, nondum
Nocte parata, non succedunt
Astra, nec ullo micat igne polus.
Nec luna graueis digerit umbras.
Sed quicquid id est, utinam nox sit.
Trepidant nostra pectora magno
Perculsa metu, ne fatali
Cuncta ruina quassata labent.
Iterumq; deos, hominesq; premat
Deforme chaos: iterum terras,
Et mare, & ignes, & uaga picti

Sydera mundi natura tegat.
Non æternæ facis exortu
Dux astrorum secula ducens
Dabit æstatis, brumæq́; notas.
Non Phœbeis * obuia flammis, * lumina
Demet nocti luna timores,
Vincetq́; sui fratris habenas
Curuo breuius limite currens.
Ibit in unum congesta sinum
Turba deorum.
Hic qui sacris per[illegible]us astris
Secat obliquo tramite Zonas,
Flectens longos Signifer annos,
Lapsa uidebit sydera labens.
Hic qui nondum uere benigno
Reddit Zephyro uela tepenti.
Aries præceps ibit in undas,
Per quas pauidam uexerat Hellen.
Hic qui nitido taurus cornu
Perfert Hyadas secum Geminos
Trahet & curui brachia cancri.
Leo flammiferis æstibus ardens
Iterum è cœlo cadet Herculeus,
Cadet in terras Virgo relictas,
Iustæq́; cadent pondera libræ,

Secumq́; trahent Scorpion acrem.
Et qui neruo tenet hæmonio,
Pennata senex spicula Chiron,
Rupto perdet spicula neruo:
Pigram referens hyemem gelidus
Cadet Aegoceros, frangetq́; tuam
Quisquis es, urnam: tecum excedent
Vltima cœli sydera Pisces:
Monstraq́; nunquam persusa mari
Merget condens omnia gurges:
Et qui medias diuidit ursas,
Fluminis instar, lubricus Anguis:
Magnoq́; minor iuncta Draconi
Frigida duro Cynosura gelu,
Custosq́; sui tardus plaustri
Iam non stabilis ruet Arctophylax.
Nos è tanto uisi populo
Digni, premeret quos euerso
Cardine mundus.
In nos ætas ultima uenit,
O nos dura sorte creatos
* sortem Seu perdidimus * solem miseri,
Siue expulimus.
Abeant questus, discede timor:
Vitæ est auidus, quisquis non uult

Mundo secum pereunte mori.

ACTVS QVINTVS.

In carmine nono, quod scribitur trimetro iambico, ponitur actus quintus istius tragœdiæ, qui est inuocatio Thyestis ad cõuiuium & appositio filiorum eius in cibos. Et hic tria tractantur, quia primo inducit Atreum gaudentem super scelere iam iuxta uotum suum inchoato, secundo inducit Thystem congaudentem de regno sibi restituto: ibi. Pectora. tertio describit infaustum cõuiuium, quod Atreus exhibuit germano: ibi. Festum. Primo inducitur Atreus de scelere commisso nimis gaudens, secũdo de ulteriori dispositione: ibi. Sed cur. Quoniam ad primum Atreus tanquam in uerba excessiuæ lætitiæ prorumpens dicit. Gradior &c.

Trimetri Iambici.

ATREVS SOLVS.

AEqualis astris gradior, & cunctos super
Altum superbo uertice attingens polum:

Nunc decora regni teneo, nunc ſolium patris:
Dimitto ſuperos: ſumma uotorum attigi.
Bene eſt, abunde eſt, iam ſat eſt etiam mihi.
Sed cur ſatis ſit? pergam, & implebo patrem
Funere ſuorum, ne quid obſtaret pudor.
Dies receßit: perge, dum cœlum uocat:
Vtinam quidem tenere fugientes deos
Poſſem, & coactos trahere, ut ultricem dapem
Omnes uiderent: quod ſat eſt, uideat pater.
Etiam die nolente diſcutiam tibi
Tenebras, miſeriæ ſub quibus latitant tuæ:
Nimis diu conuiua ſecuro iaces,
Hilariq; uultu: iam ſatis menſis datum eſt,
Satiſq; Baccho: ſobrio tanta ad mala
Opus eſt Thyeſte: turba famularis fores
Templi relaxa: feſta pateſiat domus:
Libet uidere, capita natorum intuens
Quos det colores, uerba quæ primus dolor
Effundat, aut ut ſpiritu expulſo ſtupens
Corpus rigeſcat: fructus hic operis mei eſt.
Miſerum uidere nolo, ſed dum fit miſer,
Aperta multa tecta collucent face.
Reſupinus ipſe purpura, atq; auro incubat
Vino grauatum fulciens læua caput,
* omne Eructat * ô me cœlitum excelſißimum,

Regnumq;

Regumq́; regem: uota transcendi mea:
Satur est, capaci ducit argento merum.
Ne parce potu, restat etiam nunc cruor
Tot hostiarum, ueteris hunc bacchi color
Abscondet, hoc mensa claudatur scypho,
Mistum suorum sanguinem genitor bibat,
Meum bibisset: ecce iam cantus ciet,
Festasq́; uoces, nec satis menti imperat.

THYESTES.

Anapæstici.

PEctora longis hebetata malis
Iam sollicitas ponite curas:
Fugiat mœror, fugiatq́; pauor,
Fugiat trepidi comes exilij
Tristis egestas, rebus grauis
Pudor afflictis. Magis unde cadas
Quàm quò refert: magnum ex alto
Culmine lapsum stabilem in plano
Figere gressum, magnum ingenti
Strage malorum pressum fracti
Pondera regni non inflexa
Ceruice pati, nec degenerem
Victumq́; malis rectum impositas
Ferre ruinas: sed iam sæui

Nubila fati pelle, ac miseri
Temporis omnes dimitte notas:
Redeant uultus ad læta boni.
Veterem ex animo mitte Thyesten.
Proprium hoc miseros sequitur uitium,
Nunquam rebus credere lætis.
Redeat felix fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget.
Quid me reuocas, festumq́; uetas
Celebrare diem? quid flere iubes
Nulla surgens dolor ex causa?
* decenti Quis me prohibet * recenti
Vincire comam, prohibet, prohibet.
Vernæ capiti fluxere rosæ.
Pingui madidus crinis amomo
Inter subitos stetit horrores.
Imber uultu nolente cadit.
Venit in medias uoces gemitus.
Mæror lachrymas amat assuetas.
Flendi miseris dira cupido est.
Libet infaustos mittere questus.
Libet & tyrio saturas ostro
Rumpere uestas: ululare libet.
Mittit luctus signa futuri
Mens ante sui præsaga mali.

Instat nautis fera tempestas,
Cum sine uento tranquilla tument.
Quos tibi uultus, quos tic tumultus
Fingis demens? credula præsta
Pectora fratri, iam quicquid id est,
Vel sine causa, uel serò times.
Nolo infelix, sed uagus intra
Terror oberrat, subitos fundunt
Oculi fletus, nec causa subest:
Dolor, an metus est? an habet lachrymas
Magna uoluptas?

ATREVS. THYESTES.

Trimetri Iambici.

FEstum diem germane consensu pari
Celebremus: hic est sceptra qui firmet mea,
Solidamq́; pacis alliget certe fidem.
THY. Saties dapis me, nec minus bacchi tenet.
Augere cumulus hic uoluptatem potest,
Si cum meis * gaudere felici datur. * felici natis gaudere
ATR. Hic esse natos crede in amplexu patris.
Hic sunt, eruntq́; nulla pars prolis tuæ
Tibi subtrahetur: ora, quæ exoptas, dabo,
Totumq́; turba iam sua implebo patrem,
Satiaberis, ne metue, nunc misti meis

Iucunda

Iucunda mensæ sacra iuuenilis colunt,
Sed accientur: poculum infuso cape
Gentile baccho. THY. Capio fraternæ dapis
Donum, paternis uina libentur deis,
Tunc hauriantur: sed quid hoc? non uult manus
Parere: crescit pondus, & dextram grauat.
Admotus ipsis bacchus à labris fugit,
Circaq́; rictus ore decepto effluit.
Et ipsa trepido mensa subsiluit solo.
Vix lucet ignis: ipse quin æther grauis
Inter diem noctemq́; desertus stupet.
Quid hoc? magis magisq́; concußi labant
Conuexa cœli: spißior densis coit
Caligo tenebris, noxq́; se in noctem abdidit.
Fugit omne sydus: quicquid est, fratri precor,
Gnatisq́; parcat, omnis in uile hoc caput
Abeat procella, redde iam natos mihi.
ATR. Reddam, & tibi illos nullus eripiet dies.
THY. Quis hic tumultus uiscera exagitat mea?
Quid tremuit intus? sentio impatiens onus,
Meumq́; gemitu non meo pectus gemit.
Adeste gnati, genitor infelix uocat,
Adeste, uisis fugiet hic uobis dolor.
Vnde obloquuntur? ATR. Expedi amplexus pater.
Venere gnatos ecquid agnoscis tuos?

THY.

THY. Agnosco fratrem: sustines tantum nefas
Gestare tellus? non ad infernam Styga
Te, nosq; mergis? rupta & ingenti uia
Ad chaos inane regna cum rege abripis?
Non tota ab imo tecta conuellens solo
Vertis Mycenas? stare circa Tantalum,
Auosq; nostros, si quis intra Tartara est,
Vterq; iam debuimus, hinc compagibus
Et hinc reuulsis: huc tuam immani sinu
Demitte uallem, nosq; defessos tege
Acheronte toto, noxiæ supra caput
Animæ uagentur nostrum, & ardenti freto
Phlegethon arenas igneus totas agens
Exitia supra nostra uiolentus fluat.
Immota tellus pondus ignauum iaces?
Fugere superi. ATR. At accipe hoc potius libens,
Recipe hosce citius: liberis tandem tuis
Diu expetitis, nulla per fratrem est mora,
Fruere, osculare, diuide amplexus tribus.
THY. Hoc fœdus? hæc est gratia? hæc fratris fides?
Sic odia ponis? non peto incolumes pater
Natos ut habeam, scelere quod saluo dari,
Odioq; poßit, frater hoc fratrem rogo,
Sepelire liceat, reddo quod cernas statim
Vri, nihil te genitor habiturus rogo,

Sed perditurus. ATR. Quicquid è natis tuis
Superest, habebis, quodq; non superest, habes.
THY, Vtrúmne sæuis pabulum alitibus iacent?
An belluis seruantur? an pascunt feras?
ATR. Epulatus ipse es impia natos dape.
THY. Hoc est deos quod puduit: hoc egit diem
Auersum in ortus: quas miser uoces dabo?
Questusq; quos? quæ uerba sufficient mihi?
Abscisa cerno capita, & auulsas manus,
Et rupta fractis cruribus uestigia.
Hoc est, quod auidus capere non potuit pater.
Voluuntur intus uiscera, & clausum nefas
Sine exitu luctatur, & quærit uiam.
Da frater ensem, sanguinis multum mei
Habet ille, ferro liberis demus uiam.
Negatur ensis: pectora illiso sonent
Concussa planctu, sustine infelix manum.
Parcamus umbris: tale quis uidit nefas?
Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam
Heniochus habitans? quisue Cecropijs metus
Terris Procustes? genitor en natos premo,
Premorq; natis, sceleris est aliquis modus?
ATR. Sceleri modus debetur, ubi facias scelus.
Non ubi reponas: hoc quoq; exiguum est mihi.
Ex uulnere ipso sanguinem calidum in tua

 Diffun-

Diffundere ora debui, ut uiuentium
Biberes cruorem: uerba sunt iræ data,
Dum propero, ferro uulnera impresso dedi.
Cecidi ad aras, cæde uotiua focos
Placaui, & artus corpora exanima amputans
In parua carpsi frusta, & hæc feruentibus
Demersi ahenis, illa lentis ignibus
Stillare iussi: membra, neruosq; abscidi
Viuentibus, graciliq; traiecto ueru
Mugire fibras uidi, & aggessi manu
Mea ipse flammas: omnia hæc melius pater
Fecisse potuit, cecidit incassum dolor.
Scidit ore natos impio, sed nesciens,
Sed nescientes. THY. Clausa littoribus uagis
Audite maria, uosq; dij audite hoc scelus
Quocunq; diffugistis, audite inferi,
Audite terræ, noxq; Tartarea grauis
Et atra nube, uocibus nostris uaca.
Tibi sum relictus, sola tu miserum uides.
Tu quoq; sine astris, uota non faciam improba
Pro me nihil precabor: ecquid iam potest
Pro me esse? uobis uota prospicient mea.
Te summe cœli rector ætheriæ potens
Dominator aulæ, nubibus totum horridis
Conuolue mundum, bella uentorum undiq;

* commisce * Committe, & omni parte uiolentum intona,
Manuq́;, non qua tecta, & immeritas domos
Telo petis minore, sed qua montium
Tergemina moles cecidit, & qui montibus
Stabant pares gigantes: hæc arma expedi,
Ignesq́; torque, uindica amissum diem.
Iaculare flammas, lumen exemptum polo
Fulminibus exple: causa, ne dubites diu,
Vtriusq; mala sit, si minus, mala sit mea,
Me pete: trisulco flammeam telo facem
Per pectus hoc transmitte, si natos pater
Humare, & igni tradere extremo uolo,
Ego sum cremandus, si nihil superos mouet,
Nullumq́; telis impios numen petit,
Aeterna nox permaneat, & tenebris tegat
Immensa longis secla: nil Titan queror,
Si perseueras. ATR. Nunc meas laudo manus,
Nunc parta uera est palma, perdideram scelus,
Nisi sic doleres, liberos nasci mihi
Nunc credo, castis nunc fidem reddo toris.
THY. Quid liberi meruere? ATR. Quod fuerant tui.
THY. Natos parēti? ATR. Fateor, &, quod me iuuat,
Certos. THY. Piorum præsides testor deos.
ATR. Quid cōiugales? TH. Scelere quis pensat scelus?
ATR. Scio quid queraris, scelere prærepto doles.

Nec

Nec quod nefandas hauseris tangit dapes,
Quod non pararis: fuerat hic animus tibi,
Instruere similes inscio fratri cibos,
Et adiuuante liberos matre aggredi,
Similiq; leto sternere: hoc unum obstitit,
Tuos putasti. THY. Vindices aderunt dei,
Hijs puniendum uota te tradunt mea.
ATR. Te puniendum liberis trado tuis.

FINIS.

TRAGOEDIAE INTERLOCVTORES.

Oedipus.
Nuntius.
Antigone.
Iocasta.

TRAGOEDIA DIMIDIATA, QVAE INSCRIBITVR THEBAIS.

ACTVS PRIMVS.

Actuum huius tragœdiæ argumenta.

Hæc tragœdia continet actus quatuor, quorũ primus uertitur inter Oedipũ mortem ſuam deſiderãtem & Antigonen hoc patri diſſuadentem. Secũdus uertitur inter nuntium patrem ad ſedandum bellum inuitantem & patrem negantem, & matrẽ plangentem, & nuntium ipſum inuitãtem. Tertius inter Antigonẽ matrem ut filios pacificet rogantem & matrem eius annuentem. Quartus inter Iocaſtã matrẽ Polynicis bella diſſuadentẽ & filium Polynicẽ pertinaciter reluctantem. Carmen aũt primũ quod ſcribitur metro iambico ſicut & tota hæc tragœdia, continet dialogum Oedipi mortem propriam deſiderantis & Antigonæ filiæ ſuæ deſiderium mortis diſſuadentis. Primo ergo Oedipus cœcus ad Antigonem filiam ſuam ducentem, cum dirigens ſermonem dicit: O nata, ſcilicet, Antigone.

Trimetri



Trimetri Iambici.

OEDIPVS. ANTIGONE.



Oeci parentis regimen, ac feßi unicum
Patris leuamen nata, quam tāti est mihi
Genuisse, uel sic desere infaustū patrē.
In recta quid deflectis errantē gradum?
Permitte labi, melius inueniam uiam,
Quam quæro solus, quæ me ab hac uita extrahat.
Et hoc nefandi capitis aspectu leuet
Cœlum, atq; terras: quantulum hac egi manu?
Non uideo noxæ conscium nostræ diem,
Sed uideor, hinc iam solue inhærentem manum.
Et patere cæcum, quà uolet, ferri pedem.
Ibo, ibo, qua prærupta protendit iuga
* Meus Cithæron, quà peragrati celer
Per saxa montis iacuit Actæon suis
Noua præda canibus, quà per obscurum nemus,
Syluamq; opacæ uallis instinctas deo
Egit sorores mater, & gaudens malo
Vibrante thyrso prætulit fixum caput.
Vel quà cucurrit corpus inuisum trahens
Zethi iuuentus: quà per horrentes rubos
Tauri ferocis sanguis ostentat fugas:

* Mons

* immenso Vel quà alta maria uertice * immerso premit
Inoq; præceps: quà scelus fugiens suum,
Nouumq; faciens, mater insiluit freto
Mersura natum, seq;: felices, quibus
Fortuna melior tam bonas matres dedit:
Est alius istis noster in syluis locus,
Qui me reposcit, hunc petam cursu incito,
Non hæsitabit gressus, huc omni duce
Spoliatus ibo: quid moror sedes meas?
Montem Cithæron redde, & hospitium mihi
Illud meum restitue, ut expirem sen[illegible],
Vbi debui infans: recipe supplicium uetus
Semper cruente, sæue, crudelis, ferox,
Cum occidis, & cum parcis: olim iam tuum
Est hoc cadauer: perage mandatum patris,
Iam & matris: animus gestit antiqua exequi
Supplicia: quid me nata pestifero tenes
Amore uinctum? quid tenes? genitor uocat:
Sequor, sequor, iam parce: sanguinum genus
Insigne, regni Laius rapti furit:
Et ecce manes manibus infestis petit,
Foditq; uultus, nata genitorem uides?
AN. Ego uideo: tandem spiritum inimicum exue.
OE. Desertor animæ fortis in partem tui
Omitte pœnas languidas longæ moræ,

Mortemq;

Mortemq; totam recipe: quid segnis traho?
Quid uiuo? nullum facere iam possum scelus,
Possum miser, prædico, discede à patre,
Discede uirgo: timeo post matrem omnia.
AN. Vis nulla genitor à tuo nostram manum
Corpore resoluet nemo me comitem tui
Eripiet unquam: Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant:
Pars magna patris optimo è regno mea est,
Pater ipse, non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto sceptra qui regno tenet:
Non hic cateruas alter Argolicas agens,
Non si reuulso Iuppiter mundo tonet,
Mediumq; nostros fulmen in nexus cadat,
Manum hanc remittam: probibeas genitor licet,
Regam abnuentem, dirigam inuitum gradum.
In * plana tendis: uado: prærupta expetis? * uana tendis, uada prærupta
Non obsto, sed præcedo, quos uis utere
Duce è duobus, omnis eligitur uia.
Perire sine me non potes, mecum potes:
Hic alta rupes arduo surgit iugo
Spectatq; longe spatia subiecti maris,
Vis hanc petamus? nudus hic pendet silex,
Hic scissa tellus faucibus ruptis hiat:
Vis hanc petamus? hic rapax torrens cadit

*lapsi Partesq; *laßi montis *excesas rotat,
*excelsas In hunc ruamus, dum prior quo uis eo,
Non deprecor, non hortor, extingui cupis,
Votumq; genitor maximum mors est tibi,
Si moreris, antecedo, si uiuis, sequor:
Sed flecte mentem, pectus antiquum aduoca,
Victasq; magno pectore ærumnas doma:
Resiste tantis in malis: uinci malum est.
OED. Vnde in nefanda specimen egregium domo?
Vnde ista generi uirgo dißimilis suo
Fortuna? credis aliquis est ex me pius?
Non esset unquam, fata bene noui mea,
Nisi ut noceret: ipsa se in leges nouas
Natura uertet, regeret in fontem citas
Reuolutas undas amnis, & noctem afferet
Phœbea lampas, hesperus faciet diem,
Vt ad miserias aliquid accedat meas.
Pij quoq; erimus, unica Oedipode est salus,
Non esse saluum: liceat ulcisci patrem
Adhuc inultum, dextra quid cessas iners
Exigere pœnas? quicquid exactum est adhuc,
Matri dedisti, mitte genitoris manum
Animosa uirgo: funus extendis meum,
Longasq; uiui ducis exequias patris:
Aliquando terra corpus inuisum teget:

Peccas

Peccas honesta mente: pietatem uocas,
Patrem insepultum trahere: qui cogit mori
Nolentem, in æquo est, quiq; properantem impedit.
Occidere est uetare cupientem mori.
Nec tamen in æquo est: alterum grauius reor:
Malo imperari, quàm eripi mortem mihi.
Desiste cœpto uirgo, ius uitæ ac necis
Meæ penes me est: regna deserui libens,
Regnum mei retineo: si fida es comes,
Ensem parenti trade, sed notum nece
Ensem paterna tradis, an nati tenent
Cum regno & illum? faciet, ubicunq; est, scelus
Ibi sit, relinquo, natus hunc habeat meus.
Sed uterq; flammas potius, & uastum aggerem
Compone: in altos ipse me immittam rogos.
Erectam ad ignes funebrem ascendam struem,
Pectusq; soluam durum, & in cineres dabo
Hoc quicquid in me uiuit: ubi sæuum est mare?
Duc ubi sit * altis prærutum saxis iugum? * altum præruptis
Vbi torua rapidus ducat Ismenos uada:
Duc ubi feræ sint, ubi fretum, ubi præceps locus:
Si dux es, illuc ire morituro placet,
Vbi sedit alta rupe semifero dolos
Sphinx ore nectens, dirige huc gressu pedem:
Hic siste patrem, dira ne sedes uacet,

*maius Monstrum repone *manus: hoc saxo insidens
Obscura nostræ uerba fortunæ loquar:
Quæ nemo soluat: quisquis assyrio loca
Possessa regi scindis: & Cadmi nemus
Serpente notum: sacra quo Dirce latet
Supplex ad aras, quisquis Eurotem bibis,
Spartemq; fratre nobilem gemino colis:
Quicunq; Elim, Parnason, & Bœotis
Colonus agros uberis tondes soli,
Aduerte mentem, seua Thebarum lues
Luctifica cæcis uerba committens modis,
Quid simile posuit? quid tam inextricabile?
Aui gener, patrisq; riualis sui,
Frater suorum liberum, & fratrum parens:
Vno auia partu liberos peperit uiro,
Ac sibi nepotes, monstra quis tanta explicet?
Ego ipse, uictæ spolia qui sphingis tuli,
Hærebo fati tardus interpres mei:
Quid perdis ultra uerba? quid pectus ferum
Mollire tentas precibus? hoc animo sedet
Eff undere hanc cum morte luctantem diu
Animam, & tenebras petere: nam sceleri hæc meo
Parum alta nox est, Tartara condi iuuat,
Et si quid ultra Tartarum est, tandem libet,
Quod olim oportet: morte prohiberi haud queo:

Ferrum

Ferrum negabis? noxias lapso uias
Claudes? & arctis colla laqueis in eri
Prohibebis? herbas, quæ ferunt letum, auferes?
Quid ista tandem cura proficiet tua?
Vbiq; mors est: optime hoc cauit deus
Eripere uitam nemo non homini potest,
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.
Nil quæro, dextra noster & nuda solet
Bene animus uti: dextra nunc toto impetu,
Toto dolore, uiribus totis ueni:
Non destino unum uulneri nostro locum.
Totus nocens sum: quà ucles, mortem exige:
Effringe corpus, corq; tot scelerum capax
Euelle, totos uiscerum nuda sinus:
Fractum incitatis ictibus guttur sonet:
Laceræue fixis unguibus uenæ fluant.
Aut dirige iras, quo soles, hæc uulnera
Rescissa multo sanguine, ac tabe irriga.
*Hac extrahe animam, duram, inexpugnabilem: *Hanc
Et tu parens, ubicunq; pœnarum arbiter
Astas mearum, non ego hoc tantum scelus
Vlla expiari credidi pœna satis
Vnquam, nec ista morte contentus fui,
Nec me redemi* parte, membratim tibi *per te
Volui perire, debitum tandem exige,

Nunc ſoluo pœnas: tunc tibi inferias dedi.
Ades, atq; inertem dexteram introrſus preme,
Magiſq; merge, timida cum paruo caput
Libauit hauſtu, uixq; cupientes ſequi
Eduxit oculos: hæret etiam nunc mihi
Ille animus, hæret, cum recuſantem manum
Preſſere uultus, audias uerum Oedipum,
Minus eruiſti lumina audacter tua,
Quàm præſtitiſti, nunc manum cerebro indue,
Hac parte mortem perage, qua cœpit mori.
AN. Pauca ô parens magnanime miſeranda precor,
Vt uerba nate mente placata audias.
Non te ut reducam ueteris ad ſpecimem domus,
Habitumq; regni flore pollenti inclyti
Peto, aut ut iras tempore, aut ipſa mora
Fractas remiſſo pectore, ac placido feras.
Et hoc decebat roboris tanti uirum,
Non eſſe ſub dolore, nec uictum malis
Dare terga: non eſt, ut putas, uirtus pater
Timere uitam, ſed malis ingentibus
Obſtare, nec ſe uertere, ac retro dare.
Qui fata procul cauit, ac uitæ bona
* abſcidit Proiecit, atq; * abſceßit, & caſus ſuos
Onerauit, ipſi, ceu uideo, nullo eſt opus,
Quare ipſe mortem cupiat, aut quare petat.

Vtrunq;

Vtrunq; timidi eſt uelle, contempſit mori
Qui concupiſcit, cuius haud ultra mala
Exire poſſunt, in loco tuto eſt ſitus.
Quis * iam deorum, uelle fac, quicquam poteſt, * nam
Malis tuis adijcere? iam nec tu potes,
Niſi hoc, ut eſſe te putes dignum nece,
Non es, nec ulla pectus hoc culpa attigit.
Et hoc magis te genitor inſontem uoca
Quod innocens es, dijs quoq; inuitis: quid eſt,
Quod te efferarit? quod nouos ſuffixerit
Stimulos dolori? Quid te ad infernas agit
Sedes? quid ex hijs pellit, ut careas die?
Cares, ut altis nobilem muris domum,
Patriamq́; fugias, patria tibi uiuo perit.
Natos fugis, matremq́;? ab aſpectu omnium
Fortuna te ſummouit, & quicquid poteſt
Auferre cuiquam mors, tibi hoc uita abſtulit.
Regni tumultus, turba fortunæ prior
Abſceſſit ante iuſta, quem genitor fugis?
OED. Me fugio, fugio conſcium ſcelerum omnium
Pectus, manumq́; hanc fugio, & hoc cœlum, & deos,
Et dira fugio ſcelera, quæ feci nocens.
Ego hoc ſolum, frugifera quo ſurgit Ceres,
Premo? has ego auras ore peſtifero traho?
Ego laticis hauſtu ſatior? aut ullo fruor

Almæ

Almæ parentis munere? ego castam manum
Nefandus, incestificus, execrabilis
Attrecto? ego ullos aure concipio sonos,
Per quos parentis nomen, aut nati audiam?
Vtinam quidem rescindere has quirem uias,
*omen Manibusq; adactis * omne, quo uoces meant,
Aditusq; uerbis tramite angusto patet,
Eruere possem nata, iam sensum tui,
Quæ pars meorum criminum es, infelix pater
Fugissem: inhæret, ac recrudescit nefas,
Subinde & aures ingerunt, quicquid mihi
Negastis oculi: cur caput tenebris graue
Non mitto ad umbras Ditis æternas? quid hic
Manes meos detineo? quid terram grauo?
Mistusq; superis erro? quid restat mali?
Regnum, parentes, liberi, uirtus quoq;,
Et ingenij solertis eximium decus
Periere, cuncta sors mihi infesta abstulit:
Lachrymæ supererant, has quoq; eripui mihi:
Absiste, nullas animus admittit preces,
Nouamq; pœnam sceleribus quærit parem,
Et esse par quæ poterit? infanti quoq;
Decreta mors est, fata quis tam tristia
Sortitus unquam? uideram nondum diem,
Vteriq; nondum solueram clausi moras,

Et iam

Et iam timebar, protinus quosdam æditos
* Nex occupauit, & nouæ luci abstulit, * Nox
Mors me anteceßit, aliquis intra uiscera
Materna letum præcoqui fati tulit.
Sed nunquid & peccauit? abstrusum, abditum,
Dubiumq; an essem, sceleris infandi reum
Deus egit, illo teste damnauit parens,
Calidoq; teneros transtulit ferro pedes,
Et in alta nemora pabulum misit feris,
Auibus & auidis, quas Cythæron noxius
Cruore sæpe regio at[illegible]ctas alit.
Sed quem deus damnauit, abiecit pater,
Mors quoq; refugit: præstiti Delphis fidem.
Genitorem adortus impia straui nece.
Hoc alia pietas redimet: occidi patrem,
Sed matrem amaui: prò loqui hymenæum pudet,
Tedasq; nostras: has quoq; inuitum pati
Te coge pœnas: facinus ignotum, efferum,
Inusitatum fare, quod populi horreant,
Quod esse factum nulla non ætas neget,
Quod patricidam pudeat, in patrios toros
Tuli paterno sanguine aspersas manus,
Scelerisq; pretium maius accepi scelus:
Leue est paternum facinus, in thalamos meos
Deducta mater, ne parum scelerum foret,

Fœcunda

Fœcunda, nullum crimen hoc maius poteſt
Natura ferre, ſi quod etiamnum eſt, tamen
Qui facere poſſunt, dedimus, abieci necis
* hæc Prætium paternæ ſceptrum, & * hoc iterum manus
Armauit alias: optime regni mei
Fatum ipſe noui, nemo ſine ſacro feret
Illud cruore, magna præſagit mala
Paternus animus, iacta iam ſunt ſemina
Cladis futuræ, ſpernitur pacti fides.
Hic occupato cedere imperio negat,
Ius ille, & icti fœderis teſtes deos
Inuocat, & Argos exul, atq; urbes mouet
Graias in arma: non leuis feſsis uenit
Ruina Thebis: tela, flammæ uulnera,
Inſtant, & iſtis, ſi quod eſt, maius malum,
Vt eſſe genitos nemo non ex me ſciat.
ATR. Si nulla genitor cauſa uiuendi tibi eſt,
Hæc una abunde eſt, ut pater natos regas
Grauiter furentes, tu impij belli minas
Auertere unus, tuq; uæcordes potes
Inhibere iuuenes, ciuibus pacem dare,
Patriæ quietem, fœderi læſo fidem.
Vitam tibi ipſe ſi negas, multis negas.
OED. Illis parentis ullus, aut æqui eſt amor
Auidis cruoris, imperij, armorum, doli,

Diris, scelestis, breuiter ut dicam, meis?
Certant in omne facinus, & pensi nihil
Ducunt, ubi illos ira præcipites agat.
Nefasq; nullum, per nefas nati, putant:
Non patris illos tangit afflicti pudor,
Non patria, regno pectus attonitum furit.
Scio quò ferantur, quanta moliri parent.
Ideoq; leti quæro maturi uiam,
Moriq; propero, dum in domo nemo est mea
Nocentior me: gnata quid genibus meis
Fles aduoluta? quid prece indomitum domas?
Vnum hoc habet fortuna, quo poßim capi
Inuictus alijs, sola tu affectus potes
Mollire duros, sola pietatem in domo
Docere nostra: nil graue, aut miserum est mihi,
Quod te sciam uoluisse, tu tantum impera.
Hic Oedipus Aegea tranabit freta
Iubente te, flammasq;, quas siculo uomit
De monte tellus igneos uoluens globos,
Excipiet ore, seq; serpenti offeret,
Quæ sæua furto nemoris Herculeo furit,
Iubente te præbebit alitibus iecur,
Iubente uiuet.

ACTVS SECVNDVS.

In carmine secundo ponitur secundus actus, qui est appla usus Oedipi de inflexibili odio fratrum, & diuidit in duas partes, in quarum prima ostenditur quam crudeliter Oedipus bello filiorum applausit, in secunda incipit agere de inflexibilitate odij fratris alium fratrem expugnantis: ibi. Felix Agaue. Primo inducitur persona nuncij Thebanorum ab Oedipo flagitantis remedium contra bella fratrum.

Trimetri Iambici. Primus est hemistichium.

NVNTIVS. OEDIPVS. ANTIGONE. IOCASTA.

Regia stirpe edite,
Thebæ pauentes arma fraterna inuocant,
Rogantq; tectis arceas patrijs faces,
Non sunt minæ, iam propius accessit malum:
Nam regna repetens frater, & pactas uices,
In bella cunctos Græciæ populos agit.
Septena muros castra Thebanos premunt.
Succurre, prohibe pariter & bellum, & nefas.
* bella OED. *Ego ille sum, qui * scelera committi uetem?*
Et abstineri sanguine à caro manus

Doceam

Doceam? magister iuris, & amoris pij
Ego sum? meorum facinorum exempla appetunt,
Me nunc sequuntur, laudo, & * agnosco libens, * ignosco
Exhortor, aliquid ut patre hoc dignum gerant.
Agite ô propago clara generosam indolem
Probate factis, gloriam, ac laudes meas
Superate, & aliquid facite, propter quod patrem
Adhuc iuuat uixisse, facietis scio,
Sic estis orti, scelere defungi haud leui,
Haud u[illegible]to, tanta nobilitas potest.
Ferte arma, facibus petite penetrales deos,
Frugemq; flamma metite natalis soli.
Miscete cuncta, rapite in exilium omnia,
* Deijcite passim mœnia, in planum date, * Disijcite
Templis deos obruite, maculatos lares
Conflate, ab imo tota concidat domus,
Vrbs concremetur, primus à thalamis meis
Incipiat ignis. A N. Mitte uiolentum impetum
Doloris, ac te publica exorent mala,
Autorq; placidæ liberis pacis ueni.
OED. Vides modestæ deditum menti senem?
Placidæq; amantem pacis ad partes uocas?
Tumet animus ira, seruet immensum dolor.
Maiusq; quàm quod casus, & iuuenum furor
Conatur aliquid cupio: non satis est adhuc

Ciuile bellum, frater in fratrem ruat.
Nec hoc sat est quod debet, ut fiat nefas
De more nostro, quod meos deceat toros:
Date arma patri, nemo me ex hijs eruat
Syluis, latebo rupis exesæ cauo,
Aut sæpe densa corpus abstrusum tegam.
Hinc aucupabor uerba rumoris uagi,
Et sæua fratrum bella, quod possum, audiam.
IO. Felix Agaue, facinus, horrendum, manu,
Qua fecerat, gestauit, & spolium tulit
Cruenta nati Mænas in partes dati.
Fecit scelus, sed misera non ultra suum
Scelus hoc cucurrit: hoc leue est, quod sum nocens,
Feci nocentes: hoc quoq; etiamnum leue est,
Peperi nocentes, deerat ærumnis meis,
Vt & hostem amarem: bruma ter posuit niues,
Et tertia iam falce decubuit ceres,
Vt exul errat natus, & patria caret,
Profugusq; regum auxilia Graiorum rogat,
Gener est Adrasti, cuius imperio mare
Quod cingit Isthmon, regitur, hic gentes suas
Septemq; secum regna ad auxilium trahit
Generi: quid optem, quidue decernam, haud scio.
Regnum reposcit: causa repetentis bona est,
Mala sic petentis: uota quæ faciam parens?

Vtrunq;

Vtrumq; natum uideo, nil possum pie
Pietate salua facere, quodcunq; alteri
Optabo nato, fiet alterius malo.
Sed utrunq; quamuis diligam affectu pari,
Quò causa melior, sorsq; deterior trahit,
Inclinat animus semper infirmo fauens:
Miseros magis fortuna conciliat suis.
NVN. Regina, dum tu flebiles questus cies,
Terisq; tempus, tota nudatis stetit
Acies in armis: æra iam bellum cient,
Aquilaq; pugnam signifer mota uocat:
Septena reges bella dispositi parant,
* Animo pari cadmea progenies subit, * animoq;
Cursu citato miles hinc, atq; hinc ruit:
Vide, ut atra nubes puluere abscondat diem,
Fumoq; similes campus in cœlum erigat
Nebulas, equestri fracta quas tellus pede
Submittit, &, si uera metuentes uident,
Infesta fulgent signa: * surrectis adest * surreptis
Frons prima telis, aurea clarum nota
Nomen ducum uexilla præscriptum ferunt,
I, redde amorem fratribus, pacem omnibus,
Et impia arma * matris oppositu impedi. * mater op posita

ACTVS TERTIVS.

In carmine tertio ponitur actus tertius huiu s tragœdiæ, qui est suasio ad Antigonē matrem ut bellum pacificet. Primo ostendit quomodo Antigone persuasit matri ut bellum filiorum compescat, secundo quomodo matre accedente fratres impetū bellicum suspēderunt: ibi. Vidit. Primo autem ponitur oratio Antigones persuadētis matri ut bellum filiorum compescat.

Trimetri Iambici.

ANTIGONE. IOCASTA. NVNTIVS.

Perge ô parens, & concita celerem gradum,
Compesce tela, fratribus ferrum excute, i,
Nudum inter enses pectus infestos tene:
Aut solue bellum mater, aut prima excipe.
*obuia IO. *Ibo, ibo, & armis * obuium opponam caput,*
Stabo inter arma, petere qui fratrem uolet
Petat ante matrem, tela qui fuerit pius
Rogante ponat matre, qui non est pius,
Incipiat à me, feruidos iuuenes anus
Tenebo, nullum teste me fiet nefas:
Aut si quod, & me teste, committi potest.

Non

Non fiet unum. AN. Signa collatis micant
Vicina signis, clamor hostilis fremit:
Scelus in propinquo est, occupa mater preces:
* Et ecce motos, fletibus credas meis
Sic agmen armis segne compositis uenit,
Procedit acies tarda, sed properant duces.
IO. Quis me procellæ turbine insane uehens
Volucer per auras uentus ætherias aget?
Quæ sphinx, uel atra nube subtexens diem
S[illegible]mphalis auidis præpetem pinnis feret?
Aut quæ per a[illegible]s aëris rapiet uias
Harpyia sæui regis obseruans famem?
Et inter acies proijciet raptam duas?
NVN. Vadit furenti similis, atq; etiam furit:
Sagitta qualis parthica uelox manu
Excussa fertur: qualis insano ratis
Premente uento rapitur: aut qualis cadit
Delapsa cœlo stella, cum stringens polum
Rectam citatis ignibus rumpit uiam:
Attonita cursu fugit, & binas statim
Diduxit acies, uicta materna prece
Hæsere bella, iamq; in alternam necem
Illinc, & hinc miscere cupientes manus
Vibratata tela continent dextra sua:
Paci fauetur, omnium ferrum latet

* Excute metus

* uibratum fratrum — Cessatq́;, telum * uibrat in fratrum manu:
Laniata canas mater ostendit comas:
Rogat abnuentis, irrigat fletu genas,
Negare matri qui diu dubitat, potest.

ACTVS QVARTVS.

In carmine quarto quod est ultimum huius tragœdiæ ponitur quartus actus & ostenditur pertinacia Polynicis in odio fratris non obstante persuasione matris. Et uertitur iste actus inter matrē Iocastam pacem suadentem, primoq́ꝫ suadet pacē utrunq; fratrem alloquendo generaliter unde dicit O fili in me.

Trimetri Iambici.

IOCASTA. POLYNICES.

IN me arma & ignes uertite, in me omnis ruat
* Vnà — * Vnam iuuentus: quæq́; ab Inachio uenit
Animosa muro, quæq́; Thebana ferox
Descendit arce, ciuis, atq; hostis simul,
Hunc petite uentrem, qui dedit fratres uiro,
Mea membra paßim spargite, ac diuellite,
Ego utrunq; peperi: ponitis ferrum ocyus?
* matri — An dico? & ex quo dexteras, * lege datis,

Date

Date dum piæ ſunt: error inuitos adhuc
Fecit nocentes: omne fortunæ fuit
Peccantis in uos crimen: hoc primum nefas
Inter ſcientes geritur, in ueſtra manu eſt,
Vtrum uelitis: ſancta ſi pietas placet,
Donate matrem pace: ſi placuit ſcelus,
Maius peractum eſt, media ſe opponit parens:
Proinde bellum tollite, aut belli moram.
Sollicita cui nunc mater alterna prece
Verba admouebo? miſera quem amplectar prius?
In utranq; partem ducor affectu pari:
Hic abfuit, ſed pacta ſi fratrum ualent,
Nunc alter aberit: ergo iam nunquam duos,
Niſi ſic, uidebo: iunge complexus prior,
Qui tot labores, totq; perpeſſus mala,
Longo parentem feſſus exilio uides:
Accede propius: * clude uagina impium — *conde
Enſem, & trementem iamq; cupientem excuti
Haſtam ſolo defige, maternum tuo
Coire pectus pectori clypeus uetat:
Hunc quoq; repone, uinculo frontem exue
Tegmenq; capitis triſte belligeri leua.
Et ora matri redde, quò uultus refers?
Acieq; pauida fratris obſeruas manum?
Affuſa totum corpus amplexu tegam,

Tuo cruori per meum fiet uia.
*horres Quid dubius *hæres? an times matris fidem?
PO. Timeo, nihil iam iura naturæ ualent,
Post ista fratrum exempla, ne matri quidem
Fides habenda est. IOC. Redde iam capulo manum,
Astringe galeam, læua se clypeo ingerat,
* exarmatur Dum frater * est armatus, armatus manet:
Tu pone ferrum, causa qui es ferri prior,
Si pacis odium est, furere, si bello placet,
Inducias te mater exiguas rogat,
Ferat ut reuerso post fugam nat[illegible]scula,
Vel prima, uel suprema: dum pacem peto,
Audite inermes: ille te, tu illum times,
Ego utrunq;, sed pro utroq;: quid strictum abnuis
Recondere ensem? qualibet gaude mora.
Id gerere bellum cupitis, in quo est optimum
*infesti Vinci, uereris fratris * infesta dolos?
Quoties necesse est fallere, aut falli à suis,
Patiare potius ipse, quàm facias, scelus:
Sed ne uerere: mater insidias & hinc,
Et rursus illinc abiget: exoro, an patri
Inuideo uestro? ueni, ut arcerem nefas,
An ut uiderem? propius hic ferrum abdidit
Recliuis hastæ, & arma defixa incubant:
Ad te preces nunc nate maternas feram,

Sed

Sed ante lacbrymas, teneo longo tempore
Petita uotis ora, te profugum solo
Patrio penates regis externi tegunt:
Te maria tot diuersa, tot casus uagum
Egere: non te duxit in thalamos parens
Comitata primos, nec sua * festas manu *leta
Ornauit ædes, nec sua lætas faces
Vitta reuinxit, dona non auro, & graues
Gazas socer, non arua, non urbes dedit:
Dotale bellum est, hostium es factus gener,
Patria remotus, hospes alieni laris:
Externa consecutus, expulsus tuis:
Sine crimine exul, nequid è fatis tibi
Deesset paternis: hoc quoq; ex illis habes,
Errrasse thalamis, nate post multos mihi
Remisse soles, nate sollicitæ metus,
Et spes parentis, cuius aspectum deos
Semper rogaui, cum tuus reditus mihi
Tantum esset erepturus aduentu tuo
Quantum daturus: quando pro te desinam,
Dixi, timere? dixit irridens deus,
Ipsum timebis: nempe, nisi bellum foret,
Ego te carerem: nempe, si tu non fores,
Bello carerem: triste conspectus datur
Pretium tui, durumq;: sed matri placet,

Hinc modo recedant arma, dum nullum nefas
Mars sæuus audet, hoc quoq; est magnum nefas
Tam propè fuisse, stupeo, & exanguis tremo:
Cum stare fratres hinc, & hinc uideo duos
Sceleris sub ictu, membra quassantur metu,
Quàm penè mater maius aspexi nefas,
Quàm quod miser uidere non potuit pater,
Licet timore facinoris tanti uacem,
Videamq; iam nil tale, sum infelix tamen,
Quod penè uidi: per decem mensium graues
Vteri labores, perq; pietate inclytas
Precor sorores, & per irati sibi
Genas parentis, scelere quas nullo nocens
Erroris à se dura supplicia exigens
Hausit, nefandas mœnibus patrijs faces
Auerte, signa bellici retro agminis
Flecte, ut recedas, magna pars sceleris tamen
Vestri peracta est: uidit hostili grege
Campos repleri patria, fulgentes procul
Armis cateruas, uidit equitatu leui
Cadmea frangi prata: & excelsos rotis
Volitare proceres, igne flagrantes trabes
Fumare, cineri quæ uetunt nostras domos,
Fratresq;, facinus quod nouum, & Thebis fuit,
In se ruentes: totus hic exercitus.

Et populus omnis, & utraq; hoc uidit soror.
Genitrixq; uidit: nam pater debet sibi,
Quod ista non spectauit, occurrat tibi
Nunc Oedipus: quo iudice, erroris quoq;
Pœna petuntur: ne, precor, ferro erue
Patriam, ac penates, neue, quas regere expetis,
Euerte Thebas, quis tenet mentem furor?
Petendo patriam perdis, ut fiat tua,
Vis esse nullam? quin tuæ causæ nocet
Ipsum hoc, quod armis uertis infestis solum:
Segetesq; adustas sternis, & totos fugam
Edis per agros: nemo sic uastat sua,
Quæ corripi igne, quæ meti gladio iubes,
Aliena credis: rex sit è uobis uter,
Manente regno quærite, hæc telis petes
Flammisq; tecta? poteris has Amphionis
Quassare moles? nulla quas struxit manus
Stridente tardum machina ducens onus.
Sed conuocatus uocis, & cithar e sono
Per se ipse turres uenit in summas lapis:
Hæc saxa frangens uictor? hinc spolia auferes?
* Victosq; duces patris æquales tui? * Vinctos
Matres ab ipso coniugum raptas sinu
Sæuus catena miles imposita trahet?
Vt adulta uirgo * misto captiuo gregi *mista

Thebana nuribus munus argolicis eat?
An & ipsa palmas uincta post tergum datas
Mater triumphi præda fraterni uehar?
Potés ne ciues lætus exitio datos
Videre paßim? mœnibus caris potes
Hostem admouere? sanguine, & flamma potes
Implere Thebas? tam ferum, & durum geris
Sæuumq; in iras pectus, & nondum imperas?
Quid sceptra facient? pone uesanos, precor,
Animi tumores, teq; pietati refer.
PO. Vt profugus errem semper? ut patria arcear?
Opemq; gentis hospes externæ sequar?
Quid paterer aliud, si fefellissem fidem?
Si peierassem? fraudis alienæ dabo
Pœnas? at ille præmium scelerum feret:
Iubes abire, matris imperio obsequor,
Da quò reuertar, regia frater mea
Habitet superbus, parua me abscondat casa,
Hanc da repulso, liceat exiguo lare
Pensare regnum, coniugi donum datus
Arbitria thalami dura felicis feram?
Humilisq; socerum lixa dominantem sequar?
In seruitutem cadere de regno graue est.
IO. Si regna quæris, nec potest sceptra manus
Vacare sæuo, multa, quæ possunt peti

In orbe

In orbe toto, quælibet tellus dabit.
Hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga,
Qua lata terris spatia frugiferis iacent.
Et qua trahens opulenta Pactolus uada
Inundat auro rura: nec lætis minus
Mæandros aruis flectit errantes aquas,
Rapidusq; campos fertiles Hebrus secat.
Hinc grata Cereri Gargara, & diues solum,
Quod Xanthus ambit niuibus Idæis tumens.
Hinc, qua r[...]quit nomen Ionij maris,
Fauces Abydi Sestos opp[...]sitæ premit.
Aut, qua latus iam propior orienti dedit,
Tutamq; crebris portubus Lyciam uidet,
Hæc regna ferro quære, in hos populos ferat
Socer arma fortis: has paret sceptro tuo
Tradatq; gentes: hoc adhuc regnum puta
Tenere patrem, melius exilium est tibi
Quàm reditus iste: crimine alieno exulas,
Tuo redibis: melius usus uiribus
Noua regna nullo scelere maculata appetes.
Quin ipse frater arma comitatus tua
Tibi militabit: uade, & id bellum gere,
In quo pater, materq; pugnanti tibi
Fauere possint: regna cum scelere omnibus
Sunt exilijs grauiora: nunc belli mala

Propone, dubias Martis incerti uices.
*regiæ Licet omne tecum * Græciæ robur trahas,
Licet arma longe miles, ac late explicet,
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.
Quodcunq; Mars decernit, exæquat duos
Licet impares ſint, gladius, & ſpes, & metus,
Sors cæca uerſat, præmium incertum petit,
Certum ſcelus: fauiſſe fac uotis deos
Omnes tuis: ceſſere, & auerſi fugam
Petiere ciues, clade funeſta iacens
Obtexit agros miles: exultes licet,
Victorq; fratris ſpolia deiecti geras,
Frangenda palma eſt: quale tu id bellum putas,
In quo execrandum uictor admittit nefas,
Si gaudet, hunc, quem uincere infelix cupis?
* infeſtas Cum uiceris, lugebis: * infauſtas, age,
Dimitte pugnas, libera patria metu,
Luctu parentes. PO. Sceleris, & fraudis ſuæ
Pœnas nefandus frater ut nullas ferat.
IO. Ne metue, pœnas & quidem ſoluet graues.
Regnabit, hæc eſt pœna, ſi dubitas, auo
Patriq; crede: Cadmus hoc dicet tibi,
Cadmiq; proles: ſceptra Thebarum fuit
Impune nulli gerere, nec quiſquam fide
Rupta tenebat illa, iam numeres licet

Fratrem

Fratrem inter istos. PO. Numero, & est tanti mihi
Cum regibus iacere. IO. Te turbæ exulum
Ascribo, regna, dummodo inuisus tuis.
PO. Regnare non uult, esse qui inuisus timet.
Simul ista mundi conditor posuit deus,
Odium, atq; regnum regis & magni, reor
Odia ista premere: multa dominantem uetat
Amor suorum, plus in iratos licet.
IO. Qui uult amari languida regnet manu.
Inuisa nunquam imperia retinentur diu:
Præcepta melius imperij reges dabunt,
Exilia tu dispone. PO. Pro regno uelim
Patriam, penates, coniugem flammis dare.
Imperia pretio quolibet constant bene.

TRAGOEDIAE INTER-
LOCVTORES.

Hippolytus.
Phædra.
Nutrix.
Chorus.
Theseus.
Nuntius.

TRA.

TRAGOEDIA QVARTA, QVAE INSCRIBITVR HIPPOLYTVS.

ACTVS PRIMVS.

Argumenta actuum huius tragœdiæ.

Hæc tragœdia cõtinet quinq; actus, quorum primus est Hippolyti orantis & disponentis socios ad uenandum, ac Phædræ exprimentis nutrici affectum suum & nutricis consilium dantis. Secundus est quomodo crimen impositum sit Hippolyto innocenti. Tertius est accusatio eius patris. Quartus est annũciatio mortis Hippolyti. Quintus est dolor Thesei & dolor Phædræ seipsum interemptis.

PRIMVS ACTVS.

Primus actus ponitur in primo carmine quod scribitur metro pindarico dimetro anapestico. Inducitur ergo Hippolytus socios ad uenandum exhortans. Et primo socios ad uenationem excitat, secundo deam uenationis, scilicet Dianam, inuocat & honorat; ibi, Ades, Primoq; socios in diuersa loca



loca uenationi apta distribuit, unde dicit: O socij ite &c.

Anapæstici, seu pindarici.

HIPPOLYTVS.



Te, umbrosas cingite syluas,
Summaq; montis iuga, Cecropij:
Celeri planta lustrate uagi.
Quæ saxa solo Carpaneto
Sv[illegible]ecta iacent, & quæ Thriasij
Vallibus amnis rapida currens
Verberat unda: scandite colles
Semper canos niue Riphæa.
Hac hac alij, qua nemus alta
Texitur alno, qua prata iacent,
Qua rorifera mulcens aura
Zephyrus uernas euocat herbas.
Vbi per glacies leuis Elissus,
Vbi Mæander super æquales
Labitur agros piger, & steriles
Amne maligno radit arenas.
Vos, qua Marathon tramite læuo
Saltus aperit, qua comitatæ
Gregibus paruis nocturna petunt

Pabula feræ: uos, qua tepidis
Subditus austris, frigora mollit
Durus Acarnan, alius rupem
Dulcis Hymeti, paruas alius
Calcet Alphidnas: pars illa diu
Vacat immunis, qua curuati
Littora ponti Sunion urget.
Si quem tangit gloria syluæ,
Vocat hunc Philipis: hic uersatur
Metus agricolis, uulnere multo
Iam notus aper: at uos laxas
Canibus tacitis mittite habenas,
Teneant acres lora molossos,
Et pugnaces tendant Cressæ
Fortia trito uincula collo.
At Spartanos, genus est audax
Auidumq; feræ, nodo cautus
Propiore liga: ueniet tempus,
Cum latratu caua saxa sonent.
Nunc demißi nare sagaci
Captent auras, lustraq; presso
Quærant rostro, dum lux dubia est,
Dum signa pedum roscida tellus
Impressa tenet: alius raras
Ceruice graui portare plagas,

Alius

Alius teretes properet laqueos:
Picta rubenti linea pinna
Vano claudat terrore feras.
Tibi libretur mißile telum:
Tu graue dextra, læuáq; simul
Robur lato dirige ferro:
Tu præcipites clamore feras
Subsessor ages: tu iam uictor
Curuo solues uiscera cultro.
Ades en [illegible]niti diua uirago,
Cuius regno pars ter[illegible]um
Secreta uacat: cuius certis
Petitur telis fera, quæ gelidum
Potat Araxem,
Et quæ stanti ludit in Istro.
Tua getulos dextra leones,
Tua creteas sequitur ceruas:
Nunc ueloces figis damas
Leuiore manu:
Tibi dant uariæ pectora tigres.
Tibi uillosi terga bisontes,
Latisq; feri cornibus Vri,
Quicquid solis pascitur aruis.
Siue illud inops nouit Garamas,
Siue illud Arabs diuite sylua,

Siue ferocis iuga Pyrenes,
Siue hyrcani cælant saltus,
Vacuisq; uagus Sarmata campis,
Arcus metuit Diana tuos.
Tua si gratus numina cultor
Tulit in saltus, retia uinctas
Tenuere feras.
Nulli laqueum rupere pedes.
Fertur plaustra præda trementi,
Cum rostra canes sanguine multo
Rubicunda gerunt, repetitq; casas
Rustica longo turba triumpho.
* faue En diua * faues,
Signum arguti misere canes,
Vocor in syluas, hac hac pergam,
Quà uia longum compensat iter.

PHAEDRA. NVTRIX.

Iambici Senarij.

O Magna uasti Creta dominatrix freti.
Cuius per omne littus innumeræ rates
Tenuere pontum, quicquid Aßyria tenus
Tellure Nereus peruium rostris secat,
Cur me in penates obsidem inuisos datam,

Hostiq; nuptam degere ætatem in malis,
Lachrymisq; cogis? profugus en coniunx abest,
Præstatq; nuptæ, quam solet Theseus fidem:
Fortis per altas inuij retro lacus
Vadat tenebras miles audacis proci,
Solio ut reuulsam regis inferni abstrahat.
Pergit furoris socius: haud illum timor,
Pudorq; tenuit: stupra, & illicitos toros
Acheronte in imo * quærit Hippolyti pater. *petit
Sed maior alius incubat mœstæ dolor:
Non me quies nocturna, non altus sopor
Soluere curis: alitur, & crescit malum,
Et ardet intus: qualis ætnæo uapor
Exundat antro: Palladis telæ uacant,
Et inter ipsas pensa labuntur manus.
Non colere donis templa uotiuis libet,
Non inter aras Atthidum mistam choris,
Iactare tacitis conscias sacris faces,
Nec adire castis precibus, aut ritu pio
Adiudicatam præsidem terræ deam:
Iuuat excitatas consequi cursu feras,
Et rigida molli * gesa iaculari manu: *tela
Quo tendis anime? quid furens saltus amas?
Fatale miseræ matris agnosco malum,
Peccare noster nouit in syluis amor:

Genitrix tui me miseret, infando malo
Correpta pecoris efferi sæuum ducem
Audax amasti: toruus, impatiens iugi
Adulter ille, ductor indomiti gregis,
Sed amabat aliquid: quis meas miseræ deus,
Aut quis iuuare Dædalus flammas queat?
Non si ille remeet arte mopsopia potens,
Qui nostra cæca monstra conclusit domo,
Promittat ullam casibus nostris opem:
Stirpem perosa solis inuisi Venus
Per nos catenas uindicat Martis sui,
Suasq́; probris omne Phœbeum genus
Onerat nefandis: nulla Minois leui
Defuncta amore est, iungitur semper nefas.
NVN. Thesea coniunx clara progenies Iouis,
Nefanda casto pectore exturba ocyus,
Extingue flammas: neúe te diræ spei
Præbe obsequentem: quisquis in primo obstitit,
Pepulitq́; amorem, tutus, ac uictor fuit:
Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Serò recusat ferre, quod subijt, iugum:
Nec me fugit, quàm durus, & uere insolens
Ad recta flecti regius nolit tumor.
PH. Quemcunq; dederit exitum casus, feram:

Fortem facit uicina libertas senem:
NVN. Obstare primum est, uelle nec labi uia,
Pudor est secundus, nosse peccandi modum:
Quò misera pergis? quid domum infamem grauas?
Superasq; matrem? maius est monstro nefas:
Nam monstra fato, moribus scelera imputes:
Si, quod maritus supera non cernit loca,
Tutum esse facinus credis, & uacuum metu,
Erras, tamen tu crede lethaeo abditum
Thesea profundo ferre perpetuam stygem.
Quid ille, lato maria qui regno premit,
Populisq; reddit iura centenis pater,
Latere tantum facinus occultum sinet?
Sagax parentum est cura, credamus tamen
Astu, doloq; tegere nos tantum nefas.
Quid ille rebus lumen infundens suum
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit
Vibrans corruscat fulmen aetnaeum manu
Sator deorum? credis hoc posse effici
Inter uidentes omnia, ut lateas, auos?
Sed, ut secundus numinum abscondat fauor
Coitus nefandos, utq; contingat stupro
Negata magnis sceleribus semper fides,
Quid poena praesens, consciae noctis pauor,
Animusq; culpa plenus, & semet timens?

Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.
Compesce amoris impij flammas precor:
Nefasq́;, quod non ulla tellus barbara
Commisit unquam, non uagus campis Geta,
Nec inhospitalis taurus, aut sparsus Scythes:
Expelle facinus mente castifica horridum,
Memorq́; matris metue concubitus nouos:
Miscere thalamos patris, & gnati apparas,
Vteroq́; prolem capere confusam impio:
Perge, & nefandis uerte naturam ignibus:
Cur monstra cessant, aula cur fratris uacat?
Prodigia toties orbis insueta audiet,
Natura toties legibus cedet suis,
Quoties amabit Cressa. PHAE. Quæ memoras
Vera esse nutrix: sed furor cogit sequi
Peiora, uadit animus in præceps sciens,
Remeatq́; frustra sana consilia appetens:
Sic cum grauatam nauita aduersa ratem
Propellit unda, cedit in uanum labor,
Et uicta prono puppis aufertur uado,
Quod ratio poscit, uincit, ac regnat furor,
Potensq́; tota mente dominatur deus.
Hic uolucer omni regnat in terra potens,
Ipsumq́; flammis torret indomitis Iouem,
Gradiuus istas belliger sensit faces:

Opifex trisulci fulminis sensit deus:
Et qui furentes semper ætnæis iugis
Versat caminos, igne tam paruo calet:
Ipsumq; Phœbum, tela qui neruo regit,
Figit sagitta certior missa puer,
Volitatq; cœlo pariter, & terris grauis.
NVN. Deum esse amorem, turpiter uitio fauens
Finxit libido, quoq; liberior foret
Titulum furori numinis falsi addidit:
Natum per omnes, scilicet, terras uagum
Erycina mittit: ille per cœlum uolans
Proterua tenera tela molitur manu,
Regnumq; tantum minimus in superos habet:
Vana ista demens animus asciuit sibi
Venerisq; numen finxit, atq; arcus dei:
Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitq; luxu, semper insolita appetens,
Hunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit libido: non placent suetæ dapes,
Non tecta sani moris, aut uilis cibus:
Cur in penates rarius tenues subit
Hæc delicatas eligens pestis domos?
Cur sancta paruis habitat in tectis Venus?
Mediumq; sanos uulgus affectus tenet?
Et se coërcent modica? contrà diuites

Regnoq; fulti, plura quàm fas est, petunt?
Quod non potest, uult posse, qui nimium potest,
Quid deceat, alto præditam solio, uides:
Metue, ac uerere sceptra remeantis uiri.
PH. *Amoris in me maximum regnum fero,*
Reditusq; nullos metuo: non unquam amplius
Conuexa tetigit supera, qui mersus semel
Adijt silentem nocte perpetua domum.
NVN. *Ne crede, Ditis clauserit regnum li[illegible],*
Canisq; diras Stygius obseruet fores,
Solus negatas inuenit Theseus uias.
PH. *Veniam ille amori forsitan nostro dabit.*
NVN. *Immitis etiam coniugi castæ fuit.*
Experta sæuam est barbara Antiope manum.
Sed posse flecti coniugem iratum puta:
Quis huius animum flectet intractabilem?
Exosus omne fœminæ nomen fugit,
Immitis annos cœlibi uitæ dicat:
Connubia uitat, genus Amazonium scias.
PH. *Hunc in niuosi collis hærentem iugis,*
Et aspera agili saxa calcantem pede,
Sequi per alta nemora, per montes placet.
NVN. *Resistet ille, seq; mulcendum dabit?*
Castosq; ritus Venere non casta exuet?
Tibi ponet odium, cuius odio forsitan

Perse-

Perſequitur omnes? PH. Precibus haud uinci poteſt?
NVN. Ferus eſt. PH. Amore didicimus uinci feros.
NVN. Fugiet. PH. Per ipſa maria, ſi fugiat, ſequar.
NVN. Patris memento. PH. Meminimus matris ſimul.
NVN. Genus omne profugit. PH. Pellicis careo metu.
NVN. Aderit maritus. PH. Nempe Pirithoi comes.
NVN. Aderitq; genitor. PH. Mitis Ariadnæ pater.
NVN. Per has ſenectæ ſplendidas ſupplex comas,
Feſſumq; curis pectus, & cara ubera
Precor, furorem ſiſte, teq; ipſam adiuua.
Pars ſanitatis, uelle ſanari, fuit.
PH. Non omnis animo ceſſit ingenuo pudor,
Paremus alrix, qui regi non uult, amor
Vincatur, haud te fama maculari ſinam.
Hæc ſola ratio eſt, unicum effugium mali:
Virum ſequamur, morte præuertam nefas.
NVN. Moderare alumna mentis effrenæ impetus,
Animos coërcere, dignam ob hoc uita reor,
Quod eſſe temet autumas dignam nece.
PH. Decreta mors eſt, quæritur fati genus:
Laqueóne uitam finiam, an ferro incubem?
An miſſa præceps arce Palladia cadam?
NVN. Prò caſtitatis uindicem armemus manum.
Sic te ſenectus noſtra præcipiti ſinet
Perire leto? ſiſte furibundum impetum.

PH. Probi-

PH. Prohibere nulla ratio periturum potest,
Vbi quis mori constituit, & debet mori.
NVN. Solamen annis unicum fessis hera,
Si tam proteruus incubat menti furor,
Contemne famam: fama uix uero fauet:
Peius merenti melior, & peior bono.
Tentemus animum tristem, & intractabilem,
Meus iste labor est, aggredi iuuenem ferum,
Mentemq; sæuam flectere immitis uiri.

CHORVS.

Saphici uersus.

DIua non miti generata ponto,
Quam uocat matrem geminus Cupido,
Impotens flammis simul, & sagittis:
Iste lasciuus puer, acre nitens,
Tela quàm certo iaculatur arcu:
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtiuo populante uenas:
Non habet latam data plaga frontem,
Sed uorat tectas penitus medullas:
Nulla pax isti puero: per orbem
Spargit effusas agilis sagittas:
Quæq; nascentem uidet ora solem.
Quæq; ad occasus iacet ora seros,

Siqua

Si qua feruenti subiecta Cancro est,
Si qua maioris glacialis Vrsæ
Semper errantes patitur colonos,
Nouit hos æstus: iuuenum feroces
Concitat flammas, senibusq; fessis
Rursus extinctos reuocat calores,
Virginum ignoto ferit igne pectus:
Et iubet cœlo superos relicto
Vultibus falsis habitare terras.
Thessali Phœbus pecoris magister
Egit armentum, positoq; plectro
Impari tauros calamo uocauit.
Induit formas quoties minores
Ipse qui cœlum, nebulasq; ducit?
Candidas ales modo mouit alas,
Dulcior uocem moriente cycno.
Fronte nunc torua petulans iuuencus
Virginum strauit sua terga ludo,
Perq; fraternos mala regna fluctus,
Vngula lentos imitante remos,
Pectore aduerso domuit profundum,
Pro sua uector timidus rapina.
Arsit obscuri dea clara mundi
Nocte deserta, nitidosq; fratri
Tradidit currus aliter regendos.

Ille nocturnas agitare bigas
Discit, & gyro breuiore flecti.
Nec suum tempus tenuere noctes;
Et dies tardo remeauit ortu,
Dum tremunt axes grauiore curru:
Natus Alcmena posuit pharetram;
Et minax uasti spolium leonis.
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis;
Crura distincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco.
Et manu, clauam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante fuso.
Vidit Perses, Ditisq; ferax
Lydia regni deiecta feri
Terga leonis, humerisq; quibus
Sederat alti regia cœli
Tenuem Tyrio stamine pallam.
Sacer est ignis, credite læsis,
Nimiumq; potens, qua terra mari
Cingitur alto, quaq; ætherio
Candida mundo sydera currunt.
* puer Hæc regna tenet * pueri immitis,
Spicula cuius sentit in imis
Cœrulus undis grex Nereidum,

Flammamq;

Flammamq; nequit eleuare mari.
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instincti quàm magna gerunt
Grege pro toto bella iuuenci.
Si coniugio timuere suo,
Poscunt timidi prælia cerui,
Et mugitus dant concepti
Signa furoris: tunc uirgatas
India tigres decolor horret.
Tunc uulnificos acuit dentes
Aper, & toto est spumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones,
Cum mouit amor, tum sylua gemit
Murmure sæuo: amat insani
Bellua ponti, lucæq; boues.
* Vindicat omnes natura sibi. * Vendicat
Nihil immune est: odiumq; perit,
Cum iussit amor, ueteres cedunt
Ignibus iræ: quid plura canam?
Vincit sæuas cura nouercas.

ACTVS SECVNDVS.

In carmine quarto quod scribitur metro trimetro iambico, ponitur secundus actus huius tragœdiæ, in q̃ falsum crimẽ imponit Hippo-

Hippolyto. Et primo oſtendit quomodo Phædra Hippolytum ad concubitum inuitauit, ſecundo quomodo nutrix ut falſo accuſaretur à Phædra ſuaſit: ibi. Deprehenſa. Prima pars continet tres dialogos, in quorum primo oſtenditur quomodo Phædra nutricis auxilium implorat, in ſecundo quomodo nutrix eſt uiſa flecti ad amorem Hippolyti: ibi. Regina nemorũ. In tertio oſtenditur quomodo Phædra Hippolytum inuitauit ad concubitum: ibi. Quis me dolori. Primo inducitur Phædra nutricis implorans auxilium, & dicens: Altrix.

Trimetri Iambici.

PHAEDRA. NVTRIX. HIPPOLYTVS.

Altrix profare, quid feras, quonam in loco eſt?
NVN. *Spes nulla tantum poſſe leniri malum,*
Finisq; flammis nullus inſanis erit.
Torretur æſtu tacito, & incluſus quoq;,
Quamuis tegatur, proditur uultu furor.
Erumpit oculis ignis, & lapſæ genæ
Lucem recuſant, nil idem dubiæ placet,
Artusq; uarie iactat incertus dolor.

Nunc

Nunc ut soluto labitur moriens gradu,
Et uix labante sustinet collo caput.
Nec se quieti reddit, & somni immemor
Noctem querelis ducit, attolli iubet
Iterumq; poni corpus, & solui comas
Rursusq; fingi, semper impatiens sui
Mutatur habitus: nulla iam Cereris subit
Cura, aut salutis: uadit incerto pede
Iam uiribus defœta, non idem uigor,
Non ora tingens nitida purpureus rubor.
Populatur artus cura, iam gressus tremunt,
Tenerq; nitidi corporis cecidit decor.
Et, qui tenebant signa Phœbeæ facis
Oculi, nihil gentile, nec patrium micant.
Lachrymæ cadunt per ora, & aßiduo genæ
Rore irrigantur, qualiter Tauri iugis
Tepido madescunt imbre perfusæ niues.
Sed en patescunt regiæ fastigia,
Reclinis ipsa sedis auratæ toro
Solitos amictus mente non sana abnuit.
PH. Remouete famulæ purpuram, atq; auro illitas
Vestes, procul sit muricis Tyrij rubor,
Quæ fila ramis ultimis Seres legunt.
Breuis expeditos zona constringat sinus.
Ceruix monili uacua, nec niueus lapis

Diducat aures, Indici donum maris.
Odore crinis sparsus assyrio uacet.
Sic temere iactæ colla perfundant comæ,
Humerosq; summos cursibus motæ citis
Ventos sequantur: læua se pharetræ dabit,
Hastile uibret dextra thessalicum manus.
Talis seueri mater Hippolyti fuit:
Qualis relictis frigidi ponti plagis,
Egit cateruas, atticum pulsans solum
Aut Tanais, aut Mæotis, & nodo comas
Coëgit, emisitq; lunata latus
Protecta pelta, talis in syluas ferar.
NVT. Depone questus, non leuat miseros dolor,
Regina, sæuis ecquis est flammis modus?
Agreste placa uirginis numen deæ.
Regina nemorum, sola quæ montes colis,
Et una solis montibus coleris dea,
Conuerte tristes omnium in melius minas.
O magna syluas inter, & lucos dea,
Clarumq; cœli sydus, & noctis decus,
Cuius relucet mundus alterna face
Hecate triformis, en ades cœptis fauens.
Animum rigentem tristis Hippolyti doma:
Amare discat, mutuos ignes ferat,
Det facilis aures: mitiga pectus ferum,

Inuerte mentem: toruus, auersus, ferox,
In iura Veneris redeat, huc uires tuas
Intende, sic te lucidi uultus ferant,
Et nube rupta cornibus puris eas.
Sic te regentem frena nocturni ætheris
Detrahere nunquam Thessali cantus queant,
Nullusq; de te gloriam pastor ferat:
Ades inuocata, iam faues uotis dea.
Ipsum intuor solenne uenerantem sacrum,
Nullo la[illegible] comitante: quid dubitas? dedit
Tempus, locumq; casus, utendum artibus.
Trepidamus: haud est facile mandatum scelus
Audere; uerum iusta, qui reges timet,
Detonat, omne pellat ex animo decus.
Malus est minister regij imperij pudor.
HIP. Quid huc seniles fessa moliris gradus
O fida nutrix, turbidam frontem gerens,
Et mœsta uultus? sospes est certe parens,
Sospesq; Phædra, stirpis & geminæ iugum.
NVT. Metus remitte, prospero regnum in statu est,
Domusq; florens sorte felici uiget.
Sed tu beatis mitior rebus ueni,
Nanq; anxiam me cura sollicitat tui,
Quod te ipse pœnis grauibus infestus grauas.
Quem fata cogunt, hic quidem uiuat miser,

At si quis ultro se malis offert uolens,
Seq́; ipse torquet, perdere est dignus bona,
* amiorum *Queis nescit uti, potius * annorum memor*
Mentem relaxa, motibus festis facem
Attolle, curas Bacchus exoneret graues.
Aetate fruere, mobili cursu fugit.
Nunc facile pectus, grata nunc iuueni Venus.
Exultet animus: cur toro uiduo iaces?
Tristem iuuentam solue: nunc luxus rape.
Effunde habenas, optimos uitæ dies
Effluere prohibe: propria describit deus
Officia, & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.
Quid te coërces, & necas rectam indolem?
Seges illa magnum fœnus agricolæ dabit,
Quæcunq; lætis tenera luxuriat satis.
Arborq́; celso uertice euincit nemus,
Quam non maligna cædit, aut resecat manu
Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Si nobilem animum uegeta libertas alit:
Truculentus, & syluester, & uitæ inscius
Tristem iuuentam Venere deserta colis.
Hoc esse munus credis indictum uiris,
Vt dura tollerent, cursibus domitent equos,
Et sæua bella Marte sanguineo gerant?

Prouidit

Prouidit ille maximus mundi parens,
Cum tam rapaces cerneret fati minas,
Vt damna semper sobole repararet noua.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ supplet, ac restituit humanum genus,
Orbis iacebit squalido turpis situ,
Vacuum sine ullis claßibus stabit mare,
Alesq; è cœlo decrit, & syluis fera,
Solis & aër peruius uentis erit.
Quàm uaria læti genera mortalem trahunt,
Carpuntq; turbam, pontus, & ferrum, & doli.
Sed fata credas deesse: sic atram styga
Iam petimus ultro: cœlibam uitam probet
Sterilis iuuentus, hoc erit, quicquid uides,
Vnius æui turba, & in semet ruet.
Proinde uitæ sequere naturam ducem,
Vrbem frequenta, ciuium cœtus cole.
HIP. Non alia magis est libera, & uitio carens,
Ritusq; melius, uita, quæ priscos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus syluas amat.
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicauit montium insontem iugis:
Non aura populi, & uulgus infidum bonis,
Non pestilens inuidia, non fragilis fauor,
Non ille regno seruit, ac regno imminet,

Vanosq; honores sequitur, aut fluxas opes
Spei, metusq; liber: haud illum niger,
Edaxq; liuor dente degeneri petit:
Nec scelera populos inter atq; urbes sita
Nouit: nec omnes conscius strepitus pauet:
Haud uerba fingit, mille non quærit tegi
Diues columnis, nec trabes multo insolens
Suffigit auro: non cruor largus pias
Inundat aras, fruge nec sparsa sacra
Centena niuei colla submittunt boues:
Sed rure uacuo potitur, & aperto æthere
Innocuus errat, callidas tantum feris
Struxisse fraudes nouit, & fessus graui
Labore niueo corpus Ilysso fouet.
Nunc ille ripam celeris Alphei legit:
* depressa Nunc nemoris alti * densa metitur loca,
Vbi lerna puro gelida perlucet uado,
Sedemq; mutat: hic aues querulæ fremunt,
Ramisq; uentis lene percussi tremunt,
Veteresq; fagi: iuuat & amnis uagi
Pressisse ripas: cespite aut nudo leues
Duxisse somnos, siue fons largus citas
Diffundit undas, siue per flores nouos
Fugiente dulcis murmurat riuo sonus.
Excussa syluis poma compescunt famem,

Et fraga paruis uulsa dumetis cibos
Faciles ministrant, regios luxus procul
Est impetus fugisse: sollicito bibant
Auro superbi: quàm iuuat nuda manu
Captasse fontem: celerius somnus premit, ✻ celer si
Secura duro membra uersantur toro.
Non in recessu furta, & obscuro improbus
Quærit cubili, seq; multiplici timens
Domo recondit: æthera, ac lucem petit,
Et te[illegible]e cœlo uiuit: hoc equidem reor
Vixisse ritu prim[illegible] quos mistos deis
Profudit ætas: nullus hijs auri fuit
Cæcus cupido, nullus in campo sacer
Diuisit agros arbiter populis lapis:
Nondum secabant credulæ pontum rates:
Sua quisq; norat maria: non uasto aggere
Crebraq; turre cinxerant urbes lacus:
Non arma seua miles aptabat manu:
Nec torta clausas fregerat saxo graui
Balista portas: iussa nec dominum pati
Iuncto ferebat terra seruitium boue.
Sed arua per se fœta poscentes nihil
Pauere gentes: sylua natiuas opes,
Et opaca dederant antra natiuas domos.
Rupere fœdus impius lucri furor,

Et ira præceps,quæq; succensas agit
Libido mentes:uenit imperij sitis
Cruenta, factus præda maiori minor.
Pro iure uires esse:tum primum manu
Bellare nuda, saxáq;, & ramos rudes
Vertere in arma:non erat gracili leuis
Armata ferro cornus,aut longo latus
Mucrone cingens ensis,aut cristæ caput
Galeæ comantes,tela faciebat dolor:
Inuenit artes bellicus Mauors nouas,
Et mille formas mortis,hinc terras cruor
Infecit omnes fusus,& rubuit mare.
Tum scelera dempto fine per cunctas domos
Iere,nullum caruit exemplo nefas.
A fratre frater,dextera nati parens
Cecidit,maritus coniugis ferro iacet:
Perimuntq; fœtus impiæ matres suos:
Taceo nouercas:mitius nil est feris.
Sed dux malorum fœmina,& scelerum artifex
Obsedit animos,cuius incestæ stupris
Fumant tot urbes,bella tot gentes gerunt:
Et uersa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur aliæ, sola coniunx Aegei
Medea reddit fœminas dirum genus.
NVT. Cur omnium fit culpa paucarum scelus?

HIP. Detestor omnes, horreo, fugio, execror.
Sit ratio, sit natura, sit dirus furor,
Odisse placuit: Ignibus iunges aquas,
Et amica ratibus ante promittet uada
Incerta Syrtis: ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem:
Et ora damis blanda præbebunt lupi,
Quàm uictus animum fœminæ mitem geram.
NVT. Sæpe obstinatis induit frenos amor,
Et odia mutat, regna materna aspice,
Illæ feroces sentiunt Veneris iugum.
Testaris istud unicus genitus puer.
HIP. Solamen unum matris amissæ fero,
Odisse quod iam fœminas omnes licet.
NVT. Vt dura cautes undiq; intractabilis
Resistit undis, & lacessentes aquas
Longe remittit, uerba sic spernit mea.
Sed Phædra præceps graditur impatiens moræ.
Quò se dabit fortuna? quò uerget furor?
Repente terræ corpus exanimum cadit,
Et ora morti similis obduxit color.
Attolle uultus, dimoue uocis moras,
Tuus en alumna temet Hippolytus tenet.

PHAEDRA. HIPPOLYTVS. NVTRIX.

Trimetri Iambici.

QVis me dolori reddit, atq; æſtus graues
Reponit animo? quàm bene exciderant mihi?
Cur dulce munus redditæ lucis fugis?
Aude anime, tenta, perage mandatum tuum,
Intrepida conſtent uerba: qui timide rogat,
Docet negare: magna pars ſceleris mei
Olim peracta eſt: ſerus eſt nobis pudor:
Amauimus nefanda: ſi cœpta exequor,
Forſan iugali crimen abſcondam face.
Honeſta quædam ſcelera ſucceſſus facit.
*age En incipe * anime: commodes paulum, precor,
Secretus aures, ſiquis eſt, abeat comes.
HIP. En locus ab omni liber arbitrio uacat.
PH. Sed ora cœptis tranſitum uerbis negant,
Vis magna uocem emittit, at maior tenet:
Vos teſtor omnes cœlites, hoc, quod uolo.
HIP. Animus ne cupiens aliquid effari nequit?
PH. Curæ leues loquuntur, ingentes ſtupent.
HIP. Committe curas auribus mater meis.
PH. Matris ſuperbum eſt nomen, & nimium potens,
Noſtros humilius nomen affectus decet.

Me uel

Me uel sororem Hippolyte, uel famulam uoca,
Famulamq; potius, omne seruitium feram.
Non me per altas ire, si iubeas, niues
Pigeat, gelatis ingredi Pindi iugis:
Non, si per ignes ire, & infesta agmina,
Cuncter paratis ensibus pectus dare.
Mandata recipe sceptra, me famulam accipe:
Te imperia regere, me decet iussa exequi.
Muliebre non est regna tutari patris.
Tu, qui iuuentæ flore primæuo uiges,
Ciues paterno fortis imperio rege.
Sinu receptam supplicem, ac seruam rege.
Miserere uiduæ. HIP. Summus hoc omen deus
Auertat, aderit sospes actutum parens.
PH. Regni tenacis dominus, & tacitæ Stygis
Nullam relictos fecit ad superos uiam.
Thalami remittet ille raptorem sui?
Nisi forte amori placidus & Pluto, sedet.
HIP. Illum quidem æqui cœlites reducem dabunt,
Sed, dum tenebit uota in incerto deus,
Pietate caros debita fratres colam,
Et te tuebor, esse ne uiduam putes:
Ac tibi parentis ipse supplebo locum.
PH. O spes amantum credula, ô fallax amor,
Satis ne dixit? precibus admotis agam,

Miserere, tacitæ mentis exaudi præces.
Libet loqui, pigetq;. HIP. Quod nam istud malum est?
PH. Quod in nouercam cadere uix credas, malum.
HIP. Ambigua uoce uerba perplexe iacis,
Effare aperte. PH. Pectus insanum uapor,
Amorq; torret, intimas sæuus uorat
Penitus medullas: atq; per uenas meat
Visceribus ignis mersus, & uenis latens,
Vt agilis altas flamma percurrit trabes.
HIP. Amore nempe Thesei casto furis?
PH. Hippolyte sic est: These[illegible]ultus amo
Illos priores, quos tulit quondam puer,
Cum prima puras barba signaret genas,
Monstriq; cæcam Cnosij uidit domum,
Et longa curua fila collegit uia,
Queis tum ille fulsit, presserant uittæ comam,
Et ora flauus tenera tingebat rubor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori:
Tu eue Phœbes uultus, aut Phœbi mei,
Tuusq; potius: talis, en talis fuit,
Cum placuit hosti: sic tulit celsum caput.
In te magis refulget incomptus decor,
Et genitor in te toruus, & torue tamen
Pars aliqua matris, miscet ex æquo decus.
*graio In ore * grato scythicus apparet rigor.

Si cum

Si cum parente creticum intrasses fretum,
Tibi fila potius nostra * neuisset soror. * dedisset
Te te soror, quacunq; syderei poli
In parte fulges, inuoco ad causam parem,
Domus sorores una corripuit duas:
Te genitor, at me natus: en supplex iacet
Allapsa genibus regiæ proles domus,
Respersa nulla labe, & intacta, innocens
Tibi mittor uni, certa descendi ad preces,
Finem hic dolori faciet, aut uitæ dies,
Miserere amantis. HIP. Magne regnator deûm
Tam lentus audis scelera? tam lentus uides?
Ecquando sæua fulmen emittes manu?
Si nunc serenum est, omnis impulsus ruat
Aether, & atris nubibus condat diem,
Ac uersa retro sydera obliquos agant
Retorta cursus, tuq; sydereum caput
Radiate Titan, tu nefas stirpis tuæ
Speculare, lucem merge, & in tenebras fuge.
Cur dextra diuûm rector, atq; hominum uacat
Tua? nec trisulca mundus ardescit face?
In me tona, me fige, me uelox cremet
Transactus ignis, sum nocens, merui mori.
Placui nouercæ: dignus an stupris ego?
Scelerisq; tanto uisus ego solus tibi

Materia

Materia facilis? hoc meus meruit rigor?
O scelere uincens omne fœmineum genus,
O maius ausa matre monstrifera malum,
Genitrice peior: illa se tantum stupro
Contaminauit, & tamen tacitum diu
Crimen biformis partus exhibuit nota,
Scelusq́; matris arguit uultu truci
Ambiguus infans, ille te uenter tulit.
O ter, quaterq́; prospero fato dati,
Quos hausit, & peremit, & leto dedit
Odium, dolusq́;: genitor inuideo tibi,
Colchide nouerca maius hoc maius malum est.
PH. Et ipsa nostræ fata cognosco domus:
Fugienda petimus, sed mei non sum potens.
Te uel per ignes, per mare insanum sequar,
* quos ui Rupesq́;, & amnes, * unda quos torrens rapit.
Quacunq; gressus tuleris, hac amens sequar.
Iterum superbe genibus aduoluor tuis.
HIP. Procul impudicos corpore à casto amoue
Tactus: quid hoc est? etiam in amplexus ruit.
Stringatur ensis, merita supplicia exigat.
En impudicum crine contorto caput
Læua reflexi, iustior nunquam focis
* latus * Datus tuis est sanguis arcitenens dea.
PH. Hippolyte nunc me compotem uoti facis,

Sanas furentem, maius hoc uoto meo est,
Saluo ut pudore manibus immoriar tuis.
HIP. Abscede, uiue, nequid exores, & hic
Contactus ensis deserat castum latus.
Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis undis pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus oceano pater
Tantum expiarit sceleris: ô syluæ, ô feræ.
NVT. Deprehensa culpa est, animæ quid segnis stupes?
Regeramus ipsæ crimen, atq; ultro impiam
Venerem arguamus: scelere uelandum est scelus.
Tutissimum est inferre, cum timeas, gradum.
Ausæ priores simus, an passæ nefas,
Secreta cum sit culpa, quis testis sciet?
Adeste Athenæ, fida famulorum manus
Fer opem, nefandi raptor Hippolytus stupri
Instat, premitq; mortis intentat metum,
Ferro pudicam terret, en præceps abit,
Ensemq; trepida liquit attonitus fuga.
Pignus tenemus sceleris, hanc mœstam prius
Recreate, crinis tractus, & laceræ comæ,
Vt sunt, remaneant: facinoris tanti notas
Referte in urbem, recipe iam sensus hera.
Quid te ipsa lacerans omnium aspectum fugis?
Mens impudicam facere, non casus, solet.

CHORVS.

Saphici uersus.

FVgit insanæ similis procellæ,
Ocyor nubes glomerante Choro,
Ocyor cursum rapiente flamma,
Stella cum uentis agitata longos
Corripit ignes.
Conferat tecum decus omne priscum
Fama miratrix senioris æui.
Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno,
Cum suos ignes coëunte cornu
Iunxit, & curru properante pernox
Exerit uultus rubicunda Phœbe.
Nec tenent stellæ faciem minores,
Qualis est primas referens tenebras
Nuntius noctis, modo lotus undis
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.
Et tu thyrsigera liber ab India,
Intonsa iuuenis perpetuum coma,
Tigres pampinea cuspide territans,
Ac mitra cohibens cornigerum caput,
Non uinces rigidas Hippolyti comas.

Ne uultus

Ne uultus nimium suspicias tuos,
Omneis per populos fabula distulit,
Phædræ quem Bromio prætulerit soror.
Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis,
Vt uelox celeri pede laberis.
Non sic uere nouo prata decentia
Aestatis calidæ dispoliat uapor,
Sæuit solstitio cum medius dies,
Et noctem breuibus præcipitat rotis:
Languescunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt rosæ,
Vt fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaq; non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax: quis sapiens bono
Confidat fragili? dum licet utere,
Tempus sed tacitum subruit, horaq;
Semper præterita deterior subit.
Quid deserta petis? tutior auijs
Non est forma locis: te nemore abditum,
Cum Titan medium constituit diem,
Cinget turba * licens Naiades improbæ, * licet
Formosos solitæ claudere fontibus.
Et somnis facient insidias tuis

Lasciuæ nemorum montiuagæ deæ,
Panes quas Driadas montiuagi petunt.
Aut te stellifero despiciens polo
Sydus post ueteres Arcadas æditum
Currus non poterit flectere candidos.
Et nuper rubuit, nullaq; lucidis
Nubes sordidior uultibus obstitit.
At nos solliciti lumine turbido
Tractam Thessalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus, tu fueras labor,
Et tu causa moræ, te dea noctium
Dum spectat, celeres sustinuit uias.
Vexent hanc faciem frigora parcius,
Hæc solem facies rarius appetat.
Lucebit pario marmore clarius.
Quàm grata est facies torua uiriliter,
Et pondus ueteris triste supercili.
Phœbo colla licet splendida compares,
Illum cæsaries nescia colligi
Perfundens humeros ornat, & integit,
Te frons hirta decet, te breuior coma
Nulla lege iacens: tu, licet asperos,
Pugnacesq; deos uiribus arceas,
Et uasti spatio uincere corporis,
Aequas Herculeos iam iuuenis toros.

Martis

Martis belligeri pectore latior.
Si dorso libeat cornipedis uehi,
Frenis castorea mobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllarum.
Amentum digitis tende prioribus,
Et totis iaculum dirige uiribus:
Tam longe dociles spicula figere
Non mittent gracilem Cretes arundinem.
At, si tela modo spargere Parthico
In cœlu[illegible] placeat, nulla sine alite
Descendent tepido u[illegible]re condita.
Prædam de medijs nubibus afferes.
Raris forma uiris, secula prospice
Impunita fuit: te melior deus
Tutum prætereat, formaq; nobilis
Deformis senij limina transeat.
Quid sinat inausum fœminæ præceps furor?
Nefanda iuueni crimina insonti apparat.
In scelere quærit crine lacerato fidem.
Decus omne turbat, capitis humectat genas.
Instruitur omnis fraude fœminea dolus.
Sed iste quisnam est regium in uultu decus
Gerens, & alto uertice attollens caput?
Vt ora iuueni paria Perithoo gerit,
Nisi languido candore pallerent genæ,

Staretq́; recta squalor incultus coma.
En ipse Theseus redditus terris adest.

ACTVS TERTIVS.

In carmine sexto, quod scribitur metro archiloico, ponitur tertius actus huius tragœdię et est accusatio Hippolyti apud Theseum. Et primo Hippolytus in hoc carmine apud Theseum patrem falso accusatur, secundo iniquitas fortunæ à choro deploratur, carmine septimo: ibi, O magna. Primo Theseus describit suum ab inferno reditum, secundo ostenditur quomodo Phædra accusauit Hippolytũ: ibi. Quis fremit. Tertio quomodo pater Hippolytũ clamauit in exilium: ibi. Proh sancta. Quantum ad primum dicit Theseus profugi.

Trimetri Iambici.

THESEVS. NVTRIX.

TAndem profugi noctis æternæ plagam,
Vastoq́; manes carcere umbrantem polum,
Vt uix cupitum sufferunt oculi diem.
Iam quarta Eleusis dona Triptolemi secat,
Paremq́; toties Libra composuit diem,
Ambiguus ut me sortis ignotæ labor

Detinuit

Detinuit, inter mortis, & uitæ mala.
Pars una uitæ mansit extincto mihi,
Mersus malorum finis Alcides fuit,
Qui, cum reuulsum Tartaro extraheret Canem,
Me quoq; supernas pariter ad sedes tulit.
Sed fessa uirtus robore antiquo caret,
Trepidantq; gressus: heu labor quantus fuit
Phlegethonte ab imo petere longinquum æthera,
Pariter & mortem fugere, & Alcidem sequi.
Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?
Expromat aliquis, luctus, & lachrymæ, & dolor,
Et limine ipso * uasta lamentatio, *mœsta
Hospitia digna prorsus inferno hospite.
NVT. Tenet obstinatum Phædra consilium necis,
Fletusq; nostros spernit, ac morti imminet.
TH. Quæ causa leti? reduce cur moritur uiro?
NVT. Hæc ipsa letum causa maturum attulit.
TH. Perplexa magnum uerba nescio quid tegunt.
Effare aperte, quis grauet mentem dolor.
NVT. Haud pandit ulli, mœsta secretum occulit:
Statuitq; secum ferre, quo moritur, malum.
TH. Iam perge quæso, perge, properato est opus.
Reserate clausos regij postis lares.

THESEVS. PHAEDRA.

Trimetri Iambici.

O Socia thalami, ſiccine aduentum uiri,
Et expetiti coniugis uultum excipis?
Quin enſe uiduas dexteram? atq; animum mihi
Reſtituis? & te quicquid è uita fugat
Expromis? PH. Heu per tui ſceptrum imperij
Magnanime Theſeu, perq; natorum indolem,
Tuosq; reditus, perq; iam cineres meos,
Permitte mortem. TH. Cauſa quæ cogit mori?
PH. Si cauſa leti dicitur, fructus perit.
TH. Nemo iſtud alius, me quidem excepto, audiet,
Aures pudicas coniugis ſolas times?
Effare, fido pectore arcana occulam.
PH. Alium ſilere quod uoles, primus ſile.
TH. Leti facultas nulla continget tibi.
PH. Mori uolenti deeſſe nunquam mors poteſt.
TH. Quod ſit luendum morte delictum, indica.
PH. Quod uiuo. TH. Lachrimæ nõne te noſtræ mouent?
PH. Mors optima eſt, perire lachrymant dum ſui.
TH. Silere pergit: uerbere, ac uinclis anus,
Altrixq; prodet, quicquid hæc fari abnuit.
Vincite ferro, uerberum uis extrahat
Secreta mentis. PH. Ipſa iam fabor, mane.

TH.

TH. Quid nam ora mœsta auertis, & lachrymas genis
Subito coortas ueste prætenta obtegis?
PH. Te te creator cœlitum testem inuoco,
Et te coruscum lucis ætheriæ iubar,
Ex cuius ortu nostra dependet domus,
Tentata precibus restiti, ferro, ac minis
Non cessit animus, uim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eleuet noster cruor.
TH. Quis, ede, nostri decoris euersor fuit?
PH. Quem rere minime. TH. Quis sit, audire expeto.
PH. Hic dicet ensis, quem tumultu territus
Liquit stuprator ciuium accursum timens.
TH. Quod facinus, heu me, cerno? quod monstrũ intuor?
Regale paruis asperum signis ebur
Capulo refulget, gentis Atthææ decus.
Sed ipse quò nam euasit? PH. Hi trepidum fuga
Videre famuli concitum celeri pede.

THESEVS.

PRò sancta pietas, prò gubernator poli,
Et qui secundum in fluctibus regnum tenes,
Vnde ista uenit generis infandi lues?
Hunc Graia tellus aluit? Taurus Scythes?
Colchus'q; Phasis? redit ad autores genus,
Stirpem'q; primam degener sanguis refert.

Est prorsus iste gentis armigeræ furor
Odisse Veneris fœdera, & castum diu
Vulgare populis corpus: ô tetrum genus
* uinctum Non ulla * uictum lege melioris soli.
Feræ quoq; ipsæ Veneris euitant nefas.
Generisq; leges inscius seruat pudor,
Vbi uultus ille, & ficta maiestas uiri?
Atq; habitus horrens prisca, & antiqua appetens?
Morumq; senium triste, & aspectu graue?
O uita fallax, abditos sensus geris,
Animisq; pulchram turbidis faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, uera fallaces probant:
Simulantq; molles dura, syluarum incola
Ille efferatus, castus, intactus, rudis,
Mihi te reseruas? à meo primum toro
Et scelere tanto placuit ordiri uirum?
Iam iam superno numini grates ago,
Quod icta nostra cecidit Antiope manu,
Quod non ad antra Stygia descendens tibi
Matrem reliqui: profugus ignotas procul
Percurre gentes: te licet terra ultimo
Summota mundo dirimat oceani plagis,
Orbemq; nostris pedibus obuersum colas:
Licet in recessu penitus extremo abditus
Horrifera

Horifera celsi regna transieris poli.
Hyemesq; supra positus, & canas niues,
Gelidi frementes liqueris Boreæ minas,
Post te furentes sceleribus pœnas dabis.
Profugum per omnes pertinax latebras premam,
Longinqua, clausa, abstrusa, diuersa, inuia,
Emetiemur, nullus obstabit locus
Huc uota mittam, tela quò mitti haud queunt,
Scis, unde redeam genitor æquoreus dedit,
Vt uo[illegible] prono trina concipiam deo:
Et inuocata munu[illegible]c sanxit styge.
En perage domum triste regnator freti,
Non cernat ultra lucidum Hippolytus diem,
Adeatq; manes iuuenis irato patre.
Fer abominandam nunc opem nato parens.
Nunquam supremum numinis munus tui
Consumeremus, magna ni premerent mala.
Inter profunda Tartara, & Ditem horridum,
Et imminentes regis inferni minas
Voto peperci, redde nunc pactam fidem
Genitor, moraris? cur adhuc unde silent?
Nunc atra uentis nubila impellentibus
Subtexe noctem: sydera, & cœlum eripe.
Effunde pontum, uulgus æquoreum cie,
Fluctusq; ab ipso * tumidus oceano uoca. * tumidos

CHORVS.

Dimetri anapæstici, cum quibusdam monometris.

O Magna parens natura deûm,
Tuq; igniferi rector olympi,
Qui sparsa cito sydera mundo,
Cursusq; uagos rapis astrorum,
Celeriq; polos cardine uersas,
Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare uias ætheris alti?
Vt nunc cana frigora brumæ
Nudent syluas,
Nunc arbustis redeant umbræ,
Nunc æstiui colla Leonis
Cererem magno feruore coquant,
Viresq; suas temperet annus.
Sed cur idem, qui tanta regis,
Sub quo uasti pondera mundi
Librata suos ducunt orbes,
Hominum nimium securus ades
Non sollicitus prodesse bonis,
Nocuisse malis?
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitq; manu
Munera cæca, peiora fouens.

Vincit sanctos dira libido.
Fraus sublimi regnat in aula:
Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosdem colit, atq; odit.
Tristis uirtus peruersa tulit
Præmia recti: castos sequitur
Mala paupertas, uitioq; potens
Regnat adulter.
O uane pudor, falsumq; decus.
Sed quid citato nuntius portat gradu?
Restatq; mœstus lugubrem uultum gerens?

ACTVS QVARTVS.

In carmine octauo, quod scribitur metro archiloico, ponitur actus quartus huius tragœdiæ & est denunciatio Hippolyti mortis. Hoc ergo carmen in quo mors Hippolyti nunciatur continet dialogum inter Nuntium & Theseum habentes sermones alternos duodecim quorũ primus est nuncij deplorantis quod ex officio suo cõpetitit sibi dura nunciare unde dicit: O sors acerba &c.

Trimetri Iambici.

NVNTIVS. THESEVS.

O Sors acerba, & duro famulatus grauis.
Cur me ad nefandos Nuntium casus uocas?
TH. Ne metue clades fortiter fari asperas,
Non imparatum pectus ærumnis gero.
NVT. Vocem dolori lingua luctifica negat.
TH. Proloquere, quæ sors aggrauet quassam domum.
NVT. Hippolytus, heu me flebili leto occubat.
TH. Gnatum parens obijsse iampridem scio,
Nunc raptor obijt: mortis effare ordinem.
NVT. Vt profugus urbem liquit infesto gradu,
Celerem citatis paßibus cursum explicas,
Celsos sonipedes ocyus subigit iugo,
Et ora frenis domita substrictis ligat.
Tum multa secum effatus, & patrium solum
Abominatus, sæpe genitorem ciet,
Acerq; habenis lora permißis quatit:
Cum subito uastum tumuit ex alto mare,
Creuitq; in astra, nullus inspirat salo
Ventus, quieti nulla pars cœli strepit,
Placidumq; pelagus propria tempestas agit.
Non tantus auster sicula disturbat freta,
Nec tam furenti pontus exurgit sinu

Regnante

Regnante Choro, saxa cum fluctu tremunt,
Et cana summmum spuma Leucatem ferit.
Consurgit ingens pontus in uastum aggerem,
Tumidumq; monstro pelagus in terram ruit.
Nec ista ratibus tanta construitur lues,
Terris minatur, fluctus haud cursu leui
Prouoluitur, nescio quid onerato sinu
Grauis unda portat, quæ nouum tellus caput
Ostendit astris: Cyclas exoritur noua.
Latuere nube numen Epidauri dei,
Et scelere petræ nobiles Scyronides,
Et quæ duobus terra comprimitur fretis.
Hæc dum stupentes querimur, en totum mare
Immugit, omnes undiq; scopuli adstrepunt,
Summum cacumen rorat expulso salo.
Spumat, uomitq; uicibus alternis aquas,
Qualis per alta uehitur oceani freta,
Fluctus refundens ore Physeter capax.
Inhorruit concussus undarum globus,
Soluitq; sese, & littori inuexit malum
Maius timore, pontus in terras ruit,
Suumq; monstrum sequitur, hos quassat tremor.
TH. Quis habitus ille corporis uasti fuit?
NVT. Cærulea taurus colla sublimis gerens
Erexit altam fronte uiridanti iubam,

Stant

Stant hispidæ aures, cornibus uarius color,
Et quem feri dominator habuisset gregis,
Et quem sub undis natus, hinc flammam uomit,
* inde Oculi * hinc lucent, cœrula insignis nota
Opima ceruix, arduos tollit toros,
Naresq; hiulcis haustibus patulæ fremunt.
Musco tenaci pectus, ac palear uiret.
Longum rubenti spargitur succo latus.
Tum ponè tergus ultima in monstrum coit
Facies, & ingens bellua immensam trahit
Squamosa partem, talis extremo mari
* Pistrix * Pristis citas sorbet, aut reddit rates.
Tremuere terræ, fugit attonitum pecus
Paßim per agros, nec suos pastor sequi
Meminit iuuencos, omnis è saltu fera
Disceßit, omnis frigido exanguis metu
Venator horret: solus immunis metu
Hippolytus arctis continet frenis equos,
Pauidosq; notæ uocis hortatu ciet.
Est alta ad Argos collibus ruptis uia
Vicina tangens spatia suppositi maris,
Hic se illa moles acuit, atq; iras parat.
Vt cœpit animos, seq; prætentans satis
Prælusit iræ: præpeti cursu euolat
Summam citato uix gradu tangens humum,

Toruusq;

Toruusq; currus ante trepidantes stetit.
Contrà feroci natus insurgens minax
Vultu, nec ora mutat, & magnum intonat.
Haud frangit animum uanus hic terror meum,
Nam mihi paternus uincere est tauros labor.
Inobsequentes protinus frenis equi
Rapuere currum: iamq; deerrantes uia,
Quacunq; pauidos rapidus euexit furor,
Hac ire pergunt, seq; per scopulos agunt.
At ille, [illegible]alis turbido rector mari
Ratem retentat, ne [illegible] obliquum latus,
Et arte fluctus fallit, haud aliter citos
Currus gubernat, ora nunc pressis trahit
Constricta frenis, terga nunc * torto frequens * certo
Verbere coërcet, sequitur assiduus comes,
Nunc æqua carpens spatia, nunc contra obuius
Oberrat omni parte terrorem mouens.
Non licuit ultra fugere, nam toruo obuius
Incurrit ore corniger ponti horridus.
Tum uero pauida sonipedes mente exciti
Imperia soluunt, seq; luctantur iugo
Eripere, rectiq; in pedes iactant onus.
Præceps in ora gnatus implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus, & quanto magis
Pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.

Sensere pecudes facinus, & curru leui
Dominante nullo, quà timor iußit, ruunt.
Talis per auras non suum agnoscens onus,
Soliq; falso creditum indignans diem,
Phaëthonta currus deuio excußit polo,
Late cruenta arua, & illisum caput
Scopulis resultat, auferunt dumi comas,
Et ora durus pulchra populatur lapis,
Peritq; multo uulnere infelix decor.
Moribunda celeres membra peruoluunt rotæ,
Tandemq; raptum truncus ambusta sude,
Medium per inguen stipite eiecto tenet,
Paulumq; domino currus affixo stetit,
Hæsere bijuges uulnere, & pariter moram,
Dominumq; rumpunt, inde semianimem secant
Virgulta, acutis asperi uepres rubis,
Omnisq; truncus corporis partem tulit.
Errant per agros funebris famuli manus.
Per illa, quæ distractus Hippolytus, loca,
Longum cruenta tramitem signat nota,
Mæstæq; domini membra uestigant canes.
Nec dum dolentum sedulus potuit labor
Explere corpus, hoccine est formæ decus?
Qui modo paterni clarus imperij comes,
Et certus hæres, syderum fulsit modo?

Paßim

Paßim ad supremos ille colligitur rogos,
Et funeri confertur. TH. O nimium potens,
Quanto parentes sanguinis uinclo tenes
Natura, quàm te colimus inuiti quoq;.
Occidere uolui noxium, amissum fleo.
NVT. Haud flere honeste quisq;, quod uoluit, potest.
TH. Equidem malorum maximum hunc cumulum reor,
Si abominanda casus optata efficit.
NVT. Et si odia seruas, cur madent fletu genæ?
TH. Quod interemi, non quod amisi, fleo.

CHORVS.

Dimetri anapæstici, cum quibusdam glyco nijs, & monometris.

QVanti casus humana rotant.
Minor in paruis fortuna furit,
Leuiusq; ferit leuiora deus.
Seruat placidos obscura quies,
Præbet somnos casa securos.
Admota ætherijs culmina sedibus
Duros excipiunt Notos,
Insani Boreæ minas,
Imbriferumq; Chorum: humida uallis
Raros patitur fulminis ictus.
Tremuit telo Iouis altisoni

Caucasus ingens, Phrygiumq́; nemus
Matris Cybeles: metuens cœlo
Iuppiter alto uicina petit.
Non capit unquam magnos motus
Humilis tecti plebeia domus.
Circa regna tonat.
Volat ambiguis mobilis alis
Hora, nec ulli præstat uelox
Fortuna fidem.
Qui clara uidet sydera mundi,
Nitidumq́; diem morte relicta,
Luget mœstos tristis reditus,
Ipsoq́; magis flebile Auerno
Sedis patriæ uidet hospitium.
Pallas Atthææ ueneranda genti,
Quod tuus cœlum, superosq́; Theseus
Spectat, & fugit stygias palludes,
Casta nil debes patruo rapaci.
Constat inferno numerus tyranno.
Quæ uox ab altis flebilis tectis sonat?
Strictoq́; uecors Phædra quid ferro parat?

ACTVS QVINTVS.

In carmine decimo & ultimo huius tragœdię ponit plãctus Phędrę & Thesei pro morte

morte Hippolyti,& primo ponit planctus Phędræ,secundo planctus Thesei: ibi. Palli di fauces. Primo inducitur Theseus inqui/rens & admirãs de planctu Phędræ cũ non dilexerit Hippolytũ sed oderit propter stu/prũ ut uidebat,secũdo expresse subdit plan/ctus Phędræ de morte Hippolyti: ibi. Me me. Quantum ad primum dicit. Quis.

Trimetri Iambici.

THESEVS. PHAEDRA. CHORVS.

QVis te dolore percitam instigat furor?
Quid ensis iste? quidue uociferatio?
Planctusq; supra corpus inuisum uolunt?
PH. *Me me profundi sæue dominator freti*
Inuade,& in me monstra cærulei maris
Emitte,quicquid intimo Tethys sinu
Extrema gestat,quicquid oceanus uagis
*Complexus undis ultimo fluctu * tegit.* * regit.
O dire Theseu semper,ô nunquam tuis
Tutò reuerse,gnatus,& genitor nece
Reditus tuos luere: peruertis domum
*Amore semper * coniugum,aut odio,noces.* * coniugis
Hippolyte tales intuor uultus tuos?

Talesq; feci? membra quis sæuus Scinis,
Aut quis Procustes sparsit? aut quis Cresius
Dædalea uasto claustra mugitu replens
Taurus biformis, ore cornigero ferox
Diuulsit? heu me, quò tuus fugit decor?
Oculiq;, nostrum sydus, exanimus iaces?
Ades parumper, uerbaq; exaudi mea.
Nil turpe loquimur, hac manu pœnas tibi
Soluam, & nefando pectori ferrum inseram.
Animaq; memet pariter, ac scelere exuam.
Et te per undas, perq; Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens sequar.
Placemus umbras: capitis exuuias cape,
Laceræq; frontis accipe abscissam comam.
Non licuit animos iungere, at certe licet
Iunxisse fata, morere, si casta es, uiro.
Si incesta, amori coniugis thalamos petam
Tanto impiatos facinore? hoc deerat nefas,
Vt uindicati sancta fruereris toro.
* amoris O mors * pudoris maximum læsi decus,
O mors amoris una sedamen mali,
Confugimus ad te, pande placatos sinus.
Audite Athenæ, tuq; funesta pater
Peior nouerca, falsa memoraui, & nefas,
Quod ipsa demens pectore insano hauseram,

Mentita

Mentita finxi, falsa punisti pater.
Iuuenisq; castus crimine * incestæ iacet, * incerto
Pudicus, insons, recipe iam mores tuos.
Mucrone pectus impium iusto patet,
Cruorq; sancto soluat inferias uiro.
Quid facere rapto debeas gnato, parens
Disce ex nouerca, condere Acherontis plagis.
TH. Pallidi fauces Auerni, uosq; Tænarei specus,
Vnda miseris grata Lethes, uosq; torpentes lacus
Impium rapite, atq; mersum premite perpetuis malis.
Nunc adeste sæua ponti monstra, nunc uastum mare
Vltimo quodcunq; Proteus æquoris abscondit sinu,
Meq; ouantem scelere tanto rapite in altos gurgites.
Tuq; semper genitor iræ facilis assensor meæ,
Morte dignum facinus ausus, qui * noua natum nece * uana
Segregem sparsi per agros: quiq; dum falsum nefas
Exequor, uindex scelestus incidi in uerum nefas.
Sydera, & manes, & undas scelere compleui meo.
Amplius sors nulla restat, regna me norunt tria.
In hoc redimus, patuit ad cœlum uia,
Bina ut uiderem funera, & geminam necem:
Cœlebs & orbus funebres una face
Vt concremarem prolis, ac thalami rogos?
Donator atræ lucis Alcide tuum
Diti remitte munus, ereptos mihi

Restitue manes, impius frustra inuoco
Mortem relictam, crudus, & leti artifex,
Exitia machinatus insolita effera.
Nunc tibimet ipse iusta supplicia irroga.
Pinus coacto uertice attingens humum
Cœlo remissa findat in geminas trabes,
Mittarq; præceps saxa per Scyronia.
Grauiora uidi, quæ pati clausos iubet
Phlegethon nocentes igneo cingens uado.
Quæ pœna maneat memet, & sedes, scio.
Vmbræ nocentes cedite, & ceruic[illegible]us
Hijs hijs repositum degrauet fessas manus
Saxum, senis perennis Aeolij labor.
Me ludat amnis ora uicina abluens,
Vultur relicto transuolet Tityo ferus.
Meumq; pœnæ semper accrescat iecur,
Et tu mei requiesce Pirithoi pater.
Hæc incitatis membra turbinibus ferat
Nunquam resistens orbe reuoluto rota.
Dehisce tellus, recipe me dirum chaos,
Recipe, hoc ad umbras iustior nobis uia est.
Gnatum sequor, ne metue, qui manes regis,
Casti uenimus, recipe me æterna domo
Non exiturum: non mouent diuos preces.
At, si rogarem scelera, quàm proni forent.

CHO. Theseu querelis tempus æternum manet
Nunc iusta nato solue, & absconde ocyus
Dispersa fœde membra laniatu effero.
TH. Huc huc reliquias uehite cari corporis,
Pondusq; & artus temere congestos date.
Hippolytus hic est? facinus agnosco meum.
Ego te peremi, neu nocens tantum semel,
Solusue fierem, facinus ausurus parens
Patrem aduocaui: munere en patrio fruor.
O tristi fractis orbitas annis malum,
Complectere artus, quodq; de nato est super,
Miserande mœsto pectore incumbens foue.
Disiecta genitor membra laceri corporis
In ordinem dispone, & errantes loco
Restitue partes: fortis hic dextræ locus,
Hic leua frenis docta moderandis manus
Ponenda: læui lateris agnosco notas.
Quàm magna lachrymis pars adhuc nostris abest.
Durate trepidæ lugubri officio manus,
Fletusq; largos sistite arentes genæ,
Dum membra nato genitor annumerat suo,
Corpusq; fingit: hoc quidem est forma carens,
Et turpe, multo & uulnere abesum undiq;.
Quæ pars tui sit dubito, sed pars est tui:
Hic hic repone, non suo, at uacuo loco.

Hæc ne illa facies igne sydereo nitens
Inimica flectens lumina? hic cecidit decor.
O dira fata numinum, ô sæuus furor,
Sic ad parentem gnatus ex uoto redit?
En hæc suprema uota genitoris cape
Sæpe efferendus: Interim hæc ignes ferant,
Patefacite acerba cæde funestam domum,
Mosopia claris tota lamentis sonet.
Vos apparate regij flammam rogi,
At uos per agros corporis partes uagas
Acquirite, istam terra defossam premat,
Grauisq; tellus impio capiti incubet.

TRAGOEDIAE INTERLOCVTORES.

Oedipus.	*Iocasta.*
Chorus.	*Creon.*
Tiresias.	*Manto*
Senex.	*Phorbas.*

Nuntius.

TRAGOE-

TRAGOEDIA QVINTA QVAE INSCRIBITVR OEDIPVS.

ACTVS PRIMVS.

Hæc tragœdia continet ſex actus, quorũ primus eſt planctus peſtilentiæ, quæ graſſata eſt in regno Thebarum, in quo actu duo tractantur, quia primo inducitur Oedipus plangens peſtilentiam craſſantem in hominibus, ſecundo inducitur chorus plangens de eadem non ſolum in hominibus, ſed etiam in beſtijs & iumentis, carmine ſecundo: ibi, Occidis. In primo carmine, quod ſcribitur metro trimetro iambico, inducit Oedipus plangẽs peſtilentiam regni ſui. Et in eo loco duo facit quia primo inducitur Oedipus, ut dictum eſt, plangens, ſecundo uxor Iocaſta ipſum confortans: ibi. Quid iuuat. Surgens ergo Oedipus quodam mane & tempus nubilum intuens ac cadauera hominum quæ illa peſtilentia perierant, dicit: Iam &c.

Trimetri Iambici.

OEDIPVS. IOCASTA.



Am nocte pulsa dubius effulsit dies,
Et nube mœstum squalida exoritur
iubar,
Lumenq; flāma triste luctifera gerēs,
Iam cernet auida peste solatas domos,
Stragemq; quā nox fecit ostēdet dies.
Quisquam ne regno gaudet? ô fallax bonum,
Quantum malorum, fronte quàm blanda tegis.
Vt alta uentos semper excipiunt iuga,
Rupemq; saxis uasta dirimentem freta
Quamuis quieti uerberant fluctus maris,
Imperia sic excelsa fortunæ obiacent.
Quàm bene parentis sceptra Polybi fugeram
Curis solutus, exul, intrepidus, uagans,
Cœlum deosq; testor, in regnum incidi,
Infanda timeo, ne mea genitor manu
Perimatur, hoc me Delphicæ laurus monent,
Aliudq; nobis indicant maius scelus.
Est maius aliud patre mactato nefas?
Prô misera pietas, eloqui fatum pudet.
Thalamos parentis Phœbus, & diros toros
Gnato minatur impia incestos face.
Hic me paternis expulit regnis timor.

Non ego penates profugus exceßi meos,
Parum ipse fidens mihimet in tuto tua
Natura posui iura: cum magna horreas,
Quæ posse fieri non putes, metuas tamen.
Cuncta expauesco, meq; non credo mihi.
Iamiam aliquid * nos fata moliri parant. * in nos
Nam quid rear, quod ista Cadmeæ lues,
Infesta genti, strage tam late edita
Mihi parcit uni, cui reseruamur malo?
Inter ruinas urbis, & semper nouis
Deflenda lachrymis funera, ac populi * struem? * stragem
Incolumis ergo scilicet Phœbi reus
Sperare poteras sceleribus tantis dari
Regnum salubres? fecimus cœlum nocens,
Non aura gelido lenis afflatu fouet
Anhela flammis corda: non Zephyri * leues * lenes
Spirant, sed ignes auget æstiferi Canis
Titan Leonis terga * nemeæi premens. * nemæi
Deseruit amnes humor, atq; herbas color,
Aretq; Dirce, tenuis Ismenos fluit,
Et tingit ipsa nuda uix unda uada.
Obscura cælo labitur Phœbi soror,
Tristisq; mundus nubilo pallet nouo,
Nullum serenis noctibus sydus micat,
Sed grauis, & ater incubat terris uapor.

Obtexit arces cœlitum, ac summas domos
Inferna facies: denegat fructum Ceres
Adulta, & altis flaua cum spicis cremat,
Arente culmo sterilis emoritur seges.
Pars nulla regni immunis exitio uacat,
* Sed * Et omnis ætas pariter, & sexus ruit,
Iuuenesq; senibus iungit, & gnatis patres
Funesta pestis: una fax thalamos cremat,
Fletuq; acerbo funera, & questu carent.
Quin ista tanti peruicax clades mali
Siccauit oculos: quodq; in extremis solet,
Periere lachrymæ: portat hunc æger parens
Supremum ad ignem, mater hunc amens gerit,
Properatq;, ut alium regerat in eundem locum.
Quin luctu in ipso luctus exoritur nouus,
Suæq; circa funus exequiæ cadunt,
Tum propria flammis corpora alienis cremant.
Diripitur ignis: nullus est miseris pudor.
Non ossa tumuli sancta discreti tegunt.
* parua Arsisse satis est, pars * quota in cineres abit,
Deest terra tumulis, iam rogos syluæ negant,
Non uota, non ars ulla corruptos leuant,
Cadunt medentes, morbus auxilium trahit.
Affusus aris supplices tendo manus
* peream Matura poscens fata, * præcurram ut prior

Patriam ruentem: neu e post omnes cadam,
Fiamq; regni funus extremum mei.
O sæua minimum numina, ô fatum graue,
Negatur uni nempe in hoc populo mihi
Mors tam parata, sperne letali manu
Contacta regna: linque lachrymas, funera,
Tabifica cœli uitia, quæ tecum inuehis
Infaustus hospes: profuge, iamdudum ocyus
Vel ad parentes. I O. Quid iuuat coniunx mala
Graua[illegible] questu? regium hoc ipsum reor,
Aduersa capere: quo sit dubius magis
Status, & cadentis imperij moles labat,
Hoc stare certo preßius fortem gradu.
Haud est uirile terga fortunæ dare.
Abest pauoris crimen, ac probrum procul,
OED. Virtusq; nostra nescit ignauos metus.
Si tela contrà stricta, si uis horrida
Mauortis in me rueret, aduersus feros
Audax gigantes obuias ferrem manus:
Nec sphinga cæcis uerba nectentem modis
Fugi, cruentes pestis infandæ tuli
Rictus, & albens oßibus sparsis solum.
Cumq; è superba rupe iam prædæ imminens
Aptaret ales uerbera, & caudam mouens
Sæui leonis more * conciperet minas, * cõeuteret

Carmen

Carmen poposci, sonuit horrendum, insuper
Crepuere malæ: saxáq; impatiens moræ
Reuulsit unguis uiscera expectans mea.
Nodosa fortis uerba, & implexos dolos,
Ac triste carmen alitis solui feræ.
IO. *Quid sera mortis uota nunc demens facis?*
Licuit perire, laudis hoc pretium tibi
Sceptrum, & peremptæ Sphingis hæc merces datur.
OED. *Ille, ille, dirus calidi monstri cinis*
In nos rebellat, illa nunc Thebas lues
Perempta perdit, una iam superest salus,
Si quam salutis Phœbus ostendit uiam.

CHORVS.

Saphici partim, Anapæstici, Dimetri, & Monometri inserti cum nonnullis Trimetris Iambicis.

OCcidis Cadmi generosa proles
Vrbe cum tota, uiduas colonis
Respicis terras miseranda Thebe.
Carpitur leto tuus ille Bacche
Miles extremos comes usq; ad Indos,
Ausus Eois equitare campis,
Figere & mundo tua signa primo.
Cinnamis syluas Arabum beatas
Vidit, & uersas equitis sagittas

Terga conuersi metuenda Parthi.
Littus intrauit pelagi rubentis.
Promit hic ortus, aperitq; lucem
Phœbus, & flamma propiore nudos
Inficit Indos.
Stirpis inuictæ genus interimus,
Labimur sæuo rapiente fato.
Ducitur semper noua pompa morti.
Longos ad manes properatur ordo
Agminis mœsti, seriesq; tristis
Hæret, & turbæ tumulos petenti
Non satis septem patuere portæ.
Stat grauis strages, premiturq; uincto
Funere funus.
Prima uis tardas tetigit bidentes,
Laniger pingues male carpsit herbas.
Colla tacturus steterat sacerdos,
Dum manus certum parat alta uulnus,
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur segnis, patuit sub ictu
Ponderis uasti resoluta ceruix.
Nec cruor ferrum maculauit: atra
Turpis è plaga sanies profusa est.
Segnior cursu sonipes in ipso
Concidit gyro, dominumq; prono

Prodidit

Prodidit armo.
Incubant pratis pecudes relictæ,
Taurus armento pereunte marcet.
Deficit pastor è grege diminuto,
* Timidos *Rabidos inter moriens iuuencos.
Non lupos cerui metuunt rapaces,
Cessat irati fremitus Leonis,
Nulla uillosis feritas in ursis.
Perbibit pestem latebrosa serpens,
Aret, & sicco moritur ueneno.
Non sua sylua decorata coma,
Fundit opacis montibus umbras.
Non rura uirent ubere glebæ
Non plena suo uitis iaccho
Brachia curuat.
Omnia nostrum sensere malum.
Rupere erebi claustra profundi
Turba sororum face tartarea.
Phlegethonq; sua motam ripa
Miscuit undis styga sidoniјs.
Mors alta auidos oris hiatus
Pandit, & omneis explicat alas.
Quiq; capaci turbida cymba
Flumina seruat, durus senior
Nauita crudo uix aßiduo

Brachia conto lassata refert,
Fessus turbam uectare nouam.
Quin tænarij uincula ferri
Rupisse canem fama, & nostris
Errasse locis, mugisse solum,
Vaga per lucos simulachra uirum
Maiora uiris, bis cadmeum
Niue discussa tremuisse nemus.
Iam turbatam sanguine Dircen,
Nocte silenti Amphionios
Vlulasse canes.
O dira noui facies leti,
Grauior leto, piger ignauos
Alligat artus langor, & ægro
Rubor in uultu, maculæq; caput
Sparsere leues, tum uapor ipsam
Corporis arcem flammeus urit,
Multoq; genas sanguine tingit,
Oculiq; rigent, & sacer ignis
Pascitur artus, resonant aures,
Stillatq; niger naris aduncæ
Cruor, & uenas rumpit hiantes.
Intima creber uiscera quassat
Gemitus stridens, tunc amplexu
Frigida pressa saxa fatigant.

Quos liberior domus elato
Custode sinit petitis fontes,
*Alituŕq; sitis latice * ingesto.* * ingesta
Prostrata iacet turba cadentum,
Oratq; mori: solum hoc faciles
Tribuere dei, delubra petunt.
Haud ut uoto numina placent,
Sed iuuat ipsos satiare deos.
Quis nam ille propero regiam gressu petit?
Adest ne clarus sanguine, ac factis Creon?
An æger animus falsa pro ueris [illegible]et?
Adest petitus omnibus uotis Creon.

ACTVS SECVNDVS.

In carmine tertio, quod scribitur trimetro iambico, ponitur actus secundus huius tragœdiæ, & est inquisitio remedij contra pestem, quæ continet facta per aurispitium, & hoc habet duas partes, prima enim ponitur inquisitio Oedipi à Creonte, quod remedium Phœbus contra pestem prædixit, secunda pars continet inquisitionem Tiresiæ de eodem facto per aurispitium, & incipit: ibi. Sacrate diuis. Prima pars carminis dialogum continet inter Oedipum & Creontem, & primo inducitur

Oedipus

Oedipus Creontem consulens,& ab eo remedium inquirens: Vnde dicit: Quatior.

Trimetri, & Tetrametri, Iambici, cum quibusdam hexametris.

OEDIPVS. CREON.

Horrore quatior, fata quò uergant, timens,
Trepidumq; gemino pectus euentu labat,
*Vbi læta duris * mista in ambiguo iacent,* *iuxta
Incertus animus, scire cum cupiat, timet.
Germane nostræ coniugis, fessis opem
Siquam reportas, uoce properata edoce.
CR. *Responsa dubia * sorte perplexe latent.* *uoce perplexa
OED. *Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.*
CR. *Ambage nexa Delphico mos est deo*
Arcana tegere. OED. *Fare, sit dubium licet,*
Ambigua soli noscere Oedipodæ datur.
CR. *Sedem expiari regiam exilio deus,*
Et interemptum Laium ulcisci iubet.
Non ante cœlo lucidus curret dies. *totos
*Haustusq; * tutos ætheris puri dabit.* *Ait prætor dixisse
OED. *Ecquis peremptor incliti regis fuit?* tuū: uisu et
Quem memoret ede, Phœbus ut pœnas luat. aspectu horrido
CR. * *Sit precor tutum uisu, auditu horridum,*

Torpor insedit per artus, frigidus sanguis coit,
Vt sacrata templa Phœbi supplici intraui pede,
Et pias numen precatus rite summisi manus,
Gemina Parnasi niualis arx trucem sonitum dedit,
Imminens phœbea laurus tremuit, & mouit domum.
At repente sancta fontis lympha Castalij stetit.
Incipit letea uates spargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum, contigit nondum specum,
Emicat uasto fragore maior humano sonus.
Mitia cadmæis remeabunt sydera Thæbis,
Si profugus Dircen Ismenida li[illegible]eris hospes
Regis cæde nocens, Phœbo iam notus & infans.
Nec tibi longa manent sceleratæ gaudia cædis,
Tecum bella gerens, natis quoq; bella relinques
Turpis maternus iterum reuolutus in ortus.
OED. Quod facere monitu cœlitum iussus paro,
Functi cineribus regis hoc decuit dari,
Ne sancta quisquam sceptra uiolaret dolo.
Regi tuenda maxime regum est salus.
Queritur peremptum nemo, quem incolumem timet.
CR. Curam perempti maior excussit timor.
OED. Pium prohibuit ullus officium metus.
CR. Prohibent nefandi carminis tristes minæ.
OED. Nunc expietur numinum imperio scelus.
Quisquis deorum regna placatus uides.

Tu tu, penes quem iura præcipitis poli,
Tuq; ô sereni maximum mundi decus,
Bissena cursu signa qui uario regis,
Qui tarda celeri secula euoluis rota,
Sororq; fratri semper occurrens tuo
Noctiuaga Phœbe, quiq; uentorum potens
Aequor per altum cœrulos currus agis,
Et qui carentes luce disponis domos,
Adeste: cuius Latus dextra occidit,
Hunc n[illegible]quietum tecta, non fidi lares,
Non hospitalis exul[illegible]tellus ferat.
Thalamis pudendis doleat, & prole impia.
Hic & parentem dextera perimat sua,
Faciatq;, nunquid grauius optari potest?
Quicquid ego fugi, non erit ueniæ locus,
Per regna iuro, quæq; nunc hospes rego,
Et quæ reliqui, perq; penetrales deos,
Per te pater Neptune, qui fluctu breui
Vtrinq; nostro geminus alludis solo.
Et ipse nostris uocibus testis ueni
Fatidica uatis ora Cirrhææ mouens.
Ita molle senium ducat, & summum diem
Securus alto degat in solio parens.
Solasq; Merope nouerit Polybi faces.
Vt nulla sontem gratia * eripiet mihi. * eripiat

Sed quo nefastum facinus admissum loco est
Memorato, Marte aperto, an insidijs iacet?
CR. Frondifera sanctæ nemora Castaliæ petens
Calcauit altis obsitum dumis iter.
Trigemina qua se spargit in campos uia,
Secat una gratum Phocidos Baccho solum,
Vnde altus ima deserit cœlum petens
Clementer acto colle Parnasus biceps.
At una bimares Sisyphi terras adit
Olenia in arua, tertius trames caua
Conualle serpens, tangit errantes [illegible]as,
Gelidumq; dirimit amnis Elei uadum.
Hic pace fretum subita prædonum manus
Aggressa ferro facinus occultum tulit.
In tempore ipso sorte Phœbeia excitus
* Tiresias * Tiresia tremulo tardus accelerat gradu,
Comesq; Manto luce uiduatum trahens.

OEDIPVS. TIRESIAS. MANTO.

Trimetri Iambici.

SAcrate Diuis, proximum Phœbo caput,
Responsa solue, fare, quem pœnæ petant.
TIR. Quod tardo fatum, lingua quod quærit moras,

Haud te quidem magnanime mirari addecet.
Visu carentem magna pars ueri latet.
Sed quò uocat me patria, quò Phœbus, sequar.
Fata eruantur, si foret uiridis mihi
Calidusq; sanguis, pectore excuterem deum.
Adpellite aris candidum tergo bouem,
Curuoq; nunquam colla depressum iugo.
Tu lucis inopem gnata genitorem regens
Manifesta sacri signa fatidici refer.
MAN. Opima sanctas uictima ante aras stetit.
TIR. In uota superos uoce solenni uoca,
Arasq; dono thuris Eoi extrue.
MAN. Iam thura sacris cœlitum ingeßi focis.
TIR. Quid flammæ? largas idm ne cõprehendit dapes?
MAN. Subito refulsit lumen, & subito occidit.
TIR. Vtrúm ne clarus ignis, & nitidus stetit?
Rectusq; purum uerticem cœlo tulit?
Et summam in auras fusus explicuit comam?
An latera circa serpit incertus uiæ?
Et fluctuante turbidus fumo labat?
MAN. Non una facies mobilis flammæ fuit.
Imbrifera qualis implicat uarios sibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curuata picto nuntiat nimbos sinu.
Quis desit illi, quisúe sit dubites color.

Cœrulea fuluis misſta oberrauit notis,
Sanguinea rurſus, ultimum in tenebras abit.
Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Diſcedit, & ſe ſcindit unius ſacri
Diſcors fauilla: genitor horreſco intuens.
Libata Bacchi dona permutat cruor.
Ambitq; denſus regium fumus caput.
Ipſoq; circa ſpißior uultus ſedet,
Et nube denſa ſordidam lucem abdidit.
Quid ſit parens effare. TIR. Quid fari queam
Inter tumultus mentis attonitæ uagus
Quidnam loquar? ſunt dira, ſed in alto mala.
Solet ira certis numinum oſtendi notis.
Quid iſtud eſt, quod eſſe prolatum uolunt,
Iterumq; nolunt, & truces aras tegunt?
Pudet deos, neſcio quid, huc propere admoue,
Et ſparge ſalſa colla taurorum mola.
Placido ne uultu ſacra, & admotas manus
Patiuntur. MAN. Altum taurus attollens caput,
Primos ad ortus poſitus expauit diem,
Trepidusq; uultum obliquat, & radios fugit.
TIR. Vnóne terram uulnere afflicti petunt?
*irruit, MAN. Iuuenca ferro ſemet oppoſito * induit.
Et uulnere uno cecidit, at taurus duos
Perpeſſus ictus, huc & huc dubius ruit,
Animamq;

Animamq́; fessus uix reluctantem exprimit.
TIR. Vtrum citatus uulnere angusto micat?
An lentus altas irrigat plagas cruor?
MAN. Viuus per ipsam, qua patet pectus, uiam
Effusus amnis, huius exiguo graues
Maculantur ictus imbre, sed uersus retro
Per ora multus sanguis, atq; oculos redit.
TIR. Infausta magnos sacra terrores cient.
Sed ede certas uiscerum nobis notas.
MAN. Genitor quid hoc est? non leui motu, ut solent,
Agitata trepidant e[illegible]a, sed totas manus
Quatiunt, nouisq; prosilit uenis cruor.
Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet,
Liuentq́; uenæ, magna pars fibris abest,
Et felle nigro tabidum spumat iecur,
Ac semper omen unico imperio graue,
En capita paribus bina cõsurgunt toris.
Sed utrunq; cæsum tenuis abscondit caput
Membrana latebram rebus occultis negant.
Hostile ualido robore insurgit latus,
Septemq́; uenas tendit, has omnes retro
Prohibens reuerti limes obliquus secat.
Mutatus ordo est, sede nil propria iacet,
Sed acta retro cuncta, non animæ capax
In parte dextra pulmo sanguineus iacet.

Non læua cordis regio, non molli ambitu
Omenta pingues uiſcerum obtendunt ſinus:
Natura uerſa eſt, nulla lex utero manet.
TIR. Scrutemur unde tantus hic extis rigor.
MAN. Quod hoc nefas? conceptus infauſtæ bouis,
Nec more ſolito poſitus, alieno in loco
Implet parentem, membra cum gemitu mouet,
Tremulo rigore debiles artus micant,
Infecit arctas liuidus fibras cruor.
Tentantq; turpes mobilem trunci gradum,
Et inane ſurgit corpus, ac ſacros p[illegible]t
Cornu miniſtros, uiſcera effugiunt manu.
Neq; ipſa, quæ te pepulit, armenti grauis
Vox eſt, nec uſquam territi fugiunt greges.
Immugit aris ignis, & trepidant foci.
OED. Quid iſta ſacri ſigna terrifici ferant,
Exprome: uoces aure non timida hauriam.
Solent ſuprema facere ſecuros mala.
TIR. Hijs inuidebis quibus opem quæris, malis.
OED. Memora, quod unum ſcire cœlicolæ uolunt.
Contaminarit rege quis cæſo manus.
TIR. Nec alta cœli quæ leuis pinna ſecat,
Nec fibra uiuis rapta pectoribus poteſt
Ciere nomen: alia tentanda eſt uia,
Ipſe euocandus noctis æternæ plagis

Emiſſus

Emissus erebo, ut cædis autorem indicet.
Reserenda tellus, Ditis implacabile
Numen precandum, populus infernæ stygis
Huc extrahendus: ede, cui mandes sacrum:
Nam te, penes quem summa regnorum est, nefas
Inuisere umbras. OED. Te Creo hic poscit labor,
Ad quem secundum regna respiciant mea.
TIR. Dum nos profunde claustra laxamus stygis,
Populare Bacchi laudibus carmen sonet.

CHORVS.

Versus hexametri, trochaici, anapæstici, dimetri, monometri, acatalectici, catalectici, & brachycatalecti, & sapphici inserti.

Effusam redimite comam nutante corymbo,
Mollia nyseis armate brachia thyrsis,
Lucidum cœli decus huc adeas uotis,
Quæ tibi nobiles Thebæ Bacche tuæ
Palmis supplicibus ferunt,
Huc aduerte fauens uirgineum caput,
Vultu sydereo discute nubila,
Et tristes erebi minas, auidumq; fatum.
Te decet cingi comam floribus uernis,
Te caput Tyria cohibere mitra,
Ederaue mollem bacchifera religare frontem,

Spargere effusos sine lege crines,
Rursus adducto reuocare nodo.
Qualis iratam metuens nouercam
Creueras falsos imitatus artus
Crine flauenti simulata uirgo
Luteam uestem retinente zona.
Vnde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumq; syrma.
Vidit aurato residere curru,
Veste cum longa regeres Leones,
Omnis Eoæ plaga uasta terræ,
Qui bibit Gangem, niueumq; quisquis
Frangit Araxem.
Te senior turpi sequitur Silenus asello,
Turgida pampineis redimitus tempora sertis,
Condita lasciui deducunt orgia Mystæ.
Te Bassaridum comitata cohors:
Nunc Edonij pede pulsauit
Sola pangæi, nunc Threicio
Vertice Pindi, nunc Cadmeas
Inter mares, impia Mænas
Comes Ogygio uenit Iacho
Nebride sacra præcincta latus.
Tibi commotæ pectora matres
Fudere comam, Thyrsumq; leuem

Vibrante

Vibrante manu, iam poſt laceros
Pentheos artus Thyades œſtro
Membra remiſſæ, uelut ignotum,
Videre neſas.
Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi,
Nereidumq; choris Cadmæia cingitur Ino.
Ius habet in fluctus magni puer aduena Ponti
Cognatus Bacchi numen non uile Palæmon:
Te Thyrrena puer rapuit manus:
Et tumidum Nereus poſuit mare,
Cœrula cum pratis mutat freta,
Hinc uerno platanus folio uiret,
Et Phœbo laurus earum nemus.
Garrula per ramos auis obſtrepit,
Viuaces ederas ramus tenet,
Summa ligat uitis carcheſia.
Idæus prora fremuit Leo,
Tigris puppe ſedet Gangetica,
Dum pirata freto pauidus natat,
Et noua demerſos facies habet.
Brachia prima cadunt prædonibus,
Illiſumq; utero pectus coit.
Paruula dependet lateri manus.
Et dorſo fluctum curuo ſubit:
Lunata ſcindit cauda mare

Et ſe-

Et ſequitur curuus fugientia carbaſa Delphin,
Diuite Pactolus uexit te Lydius unda
Aurea torrenti deducens flumina ripa.
Lactea Meſagetæ, qui pocula ſanguine miſcent,
Regna, ſecurigeri Bacchum ſenſere Lycurgi.
Senſere terræ zedacum feroces
Et quos uicinus Boreas ferit
Arua mutantes: quasq; Mæotis
Alluit gentes frigido fluctu,
Quasq; deſpectat uertice ſummo
Sydus Arcadium, geminumq; plauſtrum.
Ille diſperſos domuit Gelonos,
Arma detraxit trucibus puellis,
Ore deiecto petiere terram
Thermodontiacæ cateruæ:
Poſitisq; tandem leuibus ſagittis,
Mites ſunt factæ.
Sacer Cithæron ſanguine inundauit
Ophioniaq; cæde,
Prœtides ſyluas petiere, & agros,
Præſentem Bacchum coluit nouerca.
Naxos Aegeo redimita ponto
Tradidit thalamis uirginem relictam
Meliore penſans damna marito.
Pumice ex ſicco fluxit Nyctileus latex.

Garruli gramen secuere riui,
Combibit dulces humus alta succos,
Niueiq́; lactis candidos fontes,
Et mista odoro lesbia cum thymo,
Ducitur magno noua nupta cœlo.
Solenne Phœbus carmen canit,
Infusis humero capillis:
** Concinit tedas geminus Cupido,* * Concidit
Telum deposuit Iuppiter igneum,
Condidit Baccho ueniente fulmen.
Lucida dum current annosi sydera mundi,
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem,
Lunáq; dimissos dum plena recolliget ignes,
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus,
Altáq; cæruleum dum Nerea nesciet arctos,
Candida formosi uenerabimur ora Lyæi.

ACTVS TERTIVS.

In carmine quinto, quod scribitur metro iambico trimetro, Creon rediens à Tiresia, indicat Oedipo, responsum esse quis debeat soluere pœnas regi Laio. Et hoc locò tria tractantur, primo enim Creon quamuis inuitus inducitur ut audita à uate Tiresia, cui comes datus erat, indicet,

cet, secundo quasi minis inductus ea quæ audiuit, edocet: ibi. Est procul. Tertio Oedipus non credēs in fine ipsum recludi iubet: ibi. Quicquid timebam. Prima pars in modum dialogi, cōtinet sermones quindecim, primo autem incipiunt: ibi. Et ipse, & sic deinceps ordine ut habet autor.

Trimetri Iambici.

OEDIPVS. CREON.

ET si ipse uultus flebiles præfert notas,
Expone cuius capite placemus deos.
CR. *Fari iubes, tacere quæ suadet metus.*
OED. *Si te ruentes non satis Thebæ mouent,*
At sceptra moueant lapsa cognatæ domus.
CR. *Nescisse cupies, nosse quæ nimium expetis.*
OED. *Iners malorum remedium ignorantia est:*
Itáne & salutis publicæ indicium obrues?
CR. *Vbi turpis est medicina, sanari piget.*
OED. *Audita fare, uel malo domitus graui,*
Quid arma poßint regis irati scies.
CR. *Odere reges dicta, quæ dici iubent.*
OED. *Mitteris crebro uile pro cunctis caput,*
Arcana sacri uoce ni retegis tua.
CR. *Tacere liceat: nulla libertas minor*

A rege

A rege petitur. OED. Sæpe uel lingua magis
Regi, atq; regno muta libertas obest.
CR. Vbi non licet tacere, quid cuiquam licet?
OED. Imperia soluit, qui tacet, iussus loqui.
CR. Coacta uerba placidus accipias precor.
OED. Vlli ne pœna uocis expressæ fuit?
CR. Est procul ab urbe lucus ilicibus niger
*Dircea circa uallis irriguæ loca. *Dirceæ
Cupressus altis exerens syluis caput
Virente semper alligat trunco nemus,
Curuosq; tendit quercus, & putres situ
Annosa ramos: huius abrupit latus
Edax uetustas; sylua iam fessa cadens
Radice fulta pendet aliena trabe.
Amara baccis laurus, & tiliæ leue,
Et paphia myrtus, & per immensum mare
Motura ramos alnus; & Phœbo obuia
Enode Zephyris pinus opponens latus.
Medio stat ingens arbor, atq; umbra graui
Syluas minores urget, & magno ambitu
Diffusa ramis una defendit nemus.
Tristis sub illa lucis & Phœbi inscius
Hic stagnat humor frigore æterno rigens,
Limosa pigrum circuit fontem palus.
Huc ut sacerdos intulit senior gradum,

Haud est moratus, præstitit noctem locus,
Tum effossa tellus, & super rapti rogis
Iaciuntur ignes, ipse funesto integit
Vates amictu corpus, & frondem quatit.
Lugubris imos palla pertundit pedes.
Squalente cultu mœstus ingreditur senex,
Mortifera canam taxus astringit comam,
Nigro bidentes uellere, atq; atræ boues
Retro trahuntur, flamma prædatur dapes,
Viuumq; trepidat igne ferali pecus.
Voca inde manes, teq; qui manes regis,
Et obsidentem claustra letalis locus:
Carmenq; magicum uoluit, & rapido minax
Decantat ore, quicquid aut placat leues
Aut cogit umbras, irrigat sanguis focos.
Solidasq; pecudes urit, & multo specum
Saturat cruore, libat & niueum insuper
Lactis liquorem, fundit & bacchum manu
Læua, canitq; rursus, & terram intuens
Grauiore manes uoce, & attonita ciet.
Latrauit Hecates turba, ter ualles caue
Sonuere mœstum, tota succusso solo
Pulsata tellus: audior, uates ait,
Rata uerba fudi, rumpitur cœcum chaos,
Iterq; populis Ditis ad superos datur.

Subsedit

Subsedit omnis sylua, & erexit comam,
Duxere * rimas robora, & totum nemus *ruinas
Concußit horror, terra se retro dedit,
Gemuitq; penitus: siue tentari obditum
Acheron profundum mente non æqua tulit:
Siue ipsa tellus ut daret functis uiam,
Compage rupta sonuit: aut ira furens
Triceps catenas Cerberus mouit graues.
Subito dehiscit terra, & immenso sinu
Laxata patuit: ipse pallentes deos
Vidi inter umbras, ipse torpentes lacus,
Noctemq; ueram, gelidus in uenis stetit
Hæsitq; sanguis, sæua prosiluit cohors,
Et stetit in armis omne uipereum genus
Fratrum, cateruæ dente dircæo satæ,
Auidumq; populi pestis Ogygij malum.
Tum torua Erinnys sonuit, & cæcus furor,
Horrorq;, & unà quicquid æternæ creant,
Cælantq; tenebræ, luctus auellens comam,
Aegreq; lapsum sustinens morbus caput.
Grauis senectus sibimet, & pendens metus,
Nos liquit animus, ipsa quæ ritus senis,
Artesq; norat, stupuit: intrepidus parens
Audaxq; damno conuocat Ditis feri
Exangue uulgus: ilico ut nebulæ leues

Volitant, & auras libero cœlo trahunt.
Non tot caducas educat frondes Eryx,
Nec uere flores Hybla tot medio creat,
Cum examen alto nectitur densum globo:
Fluctusq; non tot frangit Ionium mare,
Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hyemes ales, & cœlum secans
Tepente Nilo pensat arctoas niues:
Quot ille populos uatis eduxit sonus,
Pauide latebras nemoris umbrosi petunt
Animæ trementes: primus emergit solo
Dextra ferocem cornibus taurum premens
Zetus, manuq; sustinet læua chelym,
Qui saxa dulci traxit Amphion sono.
Interq; natos Tantalis tandem suos,
Tutò superba fert caput fastu graui,
Et numerat umbras: peior hac genitrix adest
Furibunda Agaue, tota quam sequitur manus
Partita regem: sequitur & Baccham * sacer *lacer
Pentheus, tenetq; sæuus etiam nunc minas.
Tandem uocatus sæpe pudibundum extulit
Caput, atq; ab omni dißidet turba procul.
Cælatq; semet, instat, & stygias preces
Geminat sacerdos, donec in apertum efferat
Vultus opertos Laius: fari horreo,

Stetit

Stetit per artus sanguine effuso horridus,
Pædore fœdo squalidam obtectus comam,
Et ore rabido fatur, ô Cadmi effera
Cruore semper læta cognato domus
Vibrate thyrsos: Enthea gratos manu
Lacerate potius, maximum Thebis scelus
Maternus amor est: patria non ira deûm
Sed scelere raperis: non graui flatu tibi
Luctificus auster, nec parum pluuio æthere
Satiat tellus halitu sicco nocet,
Sed rex cruentus, pretia qui sæuæ necis
Sceptra, & nefandos occupat thalamos patris,
Inuisa proles: sed tamen peior parens,
Quàm natus utero rursus infausto grauis,
Egit qui in ortus semet, & matri impios
Fœtus regessit: quiq; * uix mos est feris, * nec
Fratres sibi ipse genuit, implicitum malum,
* Magisq; monstrum Sphinge perplexum sua. * Maius
Te te, cruenta sceptra qui dextra geris,
Te pater inultus, urbe cum tota petam.
Et mecum Erinnes pronubas thalami traham,
Traham sonantes uerbera, incestam domum
Vertam, & penates impio Marte obteram.
Proinde pulsum finibus regem ocyus
Agite exulem, quacunq; funesto gradu

123

Solum relinquat, uere florifero uirens
Reparabit herbas, spiritus puros dabit,
Vitalis aura ueniet & syluis decor.
Letum, luesq́; mors, labor, tabes, dolor
Comitatus illo dignus, excedent simul
Et ipse rapidis greßibus sedes uolet
Effugere nostras: sed graues pedibus moras
Addam, & tenebo, reptet incertus uiæ
Baculo senili triste prætentans iter.
Præripite terras, auferam cœlum pater.
Et ossa, & artus gelidus inuasit tremor.
OED. *Quicquid timebam facere, fecisse arguor,*
Tori iugalis abnuit Merope nefas
Sociata Polybo, sospes absoluit manus
Polybus meas, uterq́; defendit parens
Cædem, stuprumq́; quis locus culpæ est super?
Multo ante Thebæ Laium amissum gemunt,
Bœota gressu quàm meo tetigi loca.
Falsus ne senior, an deus Thebis grauis?
Iamiam tenemus callidi socios doli.
Mentitur, ista præferens fraudi deos
Vates, tibiq́; sceptraq́; despondet mea.
CR. *Egóne ut sororem regia expelli uelim?*
Si me fides sacrata cognati laris
Non contineret in meo certum statu.

Tamen

Tamen ipſa me fortuna terreret nimis
Sollicita ſemper: liceat hoc tutò tibi
Exuere pondus, ne recedentem opprimat.
Iam te minore tutior pones loco.
OED. Hortaris etiam ſponte deponam ut mea
Tam grauia regna. CR. Suadeam hoc illis ego?
In utrunq; queis eſt liber etiam nunc ſtatus.
Tibi iam neceſſe eſt ferre fortunam tuam.
OED. Certiſsima eſt regnare cupienti uia,
Laudare modica, & otium, * at ſomnum ſequi. * ac
Ab inquieto ſæpe ſimulatur quies.
CR. Parúm ne metam longa defendit dies?
OED. Aditum nocendi perfido præſtat dies.
CR. Solutus * onere regio, regni bonis * honore
Fruor, domusq; ciuium cœtu uiget.
Nec * nulla uicibus ſurgit alternis dies, * ulla
Qua non propinqui munera ad noſtras lares
Sceptri redundent, cultus, opulentæ dapes.
Donata multis gratia noſtra ſalus,
Quid tam beatæ deeſſe fortunæ rear?
OED. Quod res ſecundæ non habent unquam modum.
CR. Incognita igitur ut nocens cauſa cadam?
OED. Num ratio uobis reddita eſt uitæ meæ?
Num audita cauſa eſt noſtra Tireſiæ? tamen
Sontes uidemur, * facitis exemplum, ſequor. * factis

CR. Quid si innocens sum? OE. Dubia pro certis solent
Timere reges. CR. Qui pauet uanos metus,
Veros fatetur. OED. Quisquis in culpa fuit
Dimissus, odit omne quod dubium putat.
CR. Sic odia fiunt. OED. Odia qui nimium timet,
Regnare nescit, regna custodit metus.
CR. Qui sceptra duro sæuus imperio regit,
Timet timentes, metus in autorem redit.
OED. Seruate sontem saxeo inclusum specu,
Ipse ad penates regios referam gradum.

CHORVS.

Anapæstici.

NOn tu tantis causa periclis,
Non hæc Labdacidas premunt
Fata, sed ueteres deum
Iræ sequuntur: Castalium nemus
Vmbram sidonio præbuit hospiti,
Lauitq; Dirce Tyrios colonos.
Vt primum magni natus Agenoris
Fessus per orbem, furta sequi Iouis
Sub nostræ ramis constitit arboris
Prædonem numerans suum, monituq; Phœbi
Iussus erranti comes ire uaccæ,
Quam non flexerat

Vomer

Vomer, aut tardi iuga curua plaustri,
Deseruit fugas, nomenq; genti
Inauspicata de boue tradidit.
Tempore ex illo noua monstra semper
Protulit tellus.
Aut anguis imis uallibus editus
Annosa supra robora sibilat,
Supraq; pinus;
Supra Chaonias celsior arbores
Cæruleum erexit caput,
Cum maiore sui parte recumberet.
Aut fœta tellus impio partu
Effudit arma.
Sonuit reflexo claßicum cornu,
Lituusq; aduneo stridulos cantus
Elisit ære, non ante linguas
Alias, & arma uocis ignotæ
Clamore primum hostico experti
Agmina campos cognata tenent.
Dignaq; iacto semine proles
Vno ætatem permensa die
Post luciferi nata meatus
Ante hesperios occidit ortus.
Horret tantis aduena monstris,
Populiq; timet bella * ruentis, *recentis

Donec cecidit sæua iuuentus,
Genitrixq́; suo reddi gremio
Modo productos uidit alumnos.
Hac transierit ciuile nefas.
Illa Herculeæ norint Thebæ
Prælia fratrum.
Quid Cadmei fata nepotis,
Cum uiuacis cornua cerui
Frontem ramis texere nouis,
Dominumq́; canes egere suum.
Præceps syluas, montesq́; fugit
Citus Actæon, agiliq́; magis
Pede per saltus, & saxa uagus
Metuit motas Zephyris plumas,
Et quæ posuit retia uitat,
Donec placidi fontis in unda
Cornua uidit, uultusq́; feros,
Vbi uirgineos fouerat artus
Nimium sæui diua pudoris.

ACTVS QVARTVS.

In carmine septimo, quod scribitur metro trimetro iambico, ponitur actus quartus huius tragœdiæ, & est quomodo Oedipus per inquisitionem aliam, inuenit se esse reum

reum mortis regis Lai. Et diuidit hęc pars in duas, in quarum prima inquirit de regis Lai interfectione, in secunda de propria origine, ibi: Corinthius. Prima pars in modum dialogi inter Oedipum & Iocastam sermones octo continet, primo enim dicit Oedipus tanquam agitatus conscientia super hoc quod dictum erat ei quod interfecisset Laium, & quod erat occasio pestis inflictæ, inquirens de tempore interfectionis Lai & de comitatu quem habuit tẽpore illo quo interfectus est, unde dicit: Animus.

Trimetri Iambici.

OEDIPVS. IOCSTA.

CVras reuoluit animus, & repetit metus.
Obijsse nostro Laium scelere autumant
Superi, inferiq;, sed animus contra innocens
Sibiq; melius quàm deis notus negat.
Redit memoria tenue per uestigium
Cecidisse nostri stipitis impulsu obuium,
Datum esse Diti, cum prior iuuenem senex
Curru superbus pelleret, Thebis procul,
*Phocea trifidas regio qua * scindit uias.* * *scinditur*

Vnanima

Vnanima coniunx explica errorem precor,
Quæ spatia moriens Laius uitæ tulit,
Primó ne in æuo uiridis, an fracto occidit?
IO. Inter senem, iuuenemq́; sed propior seni.
OE. Frequens ne turba regium cinxit latus?
IO. Plures fefellit error ancipitis uiæ,
Paucos fidelis curribus iunxit labor.
OE. Aliquis ne cecidit regio fato comes?
IO. Vnum fides, uirtusq́; consortem addidit.
OE. Teneo nocentem, conuenit numerus, locus,
Sed tempus adde. IO. Decima iam metitur seges.

SENEX. OEDIPVS.

Trimetri Iambici.

Corinthius te populus in regnum uocat
Patrium, quietem Polybus æternam obtinet.
OE. Vt undiq; in me sæua fortunæ irruit,
Edissere mihi quo cadat fato parens.
SE. Animam senilem mollis exoluit sopor.
OE. Genitor sine ulla cæde defunctus iacet?
Testor, licet iam tollere ad cœlum pie
Puras, nec ulla scelera metuentes manus.
Sed pars magis metuenda fatorum manet.
SE. Omnem paterna regna discutiunt metum.
OE. Repetam paterna regna, sed matrem horreo.

SE. Metuis parentem, quæ tuum reditum expetens
Sollicita pendet? OE. Ipsa me pietas fugat.
SE. Viduam relinques? OE. Tangis en ipsos metus.
SE. Effare, mersus quis premat mentem timor,
Præstare tacitam regibus soleo fidem.
OE. Connubia matris Delphico monitu tremo.
SE. Timere uana desine, & turpes metus
Depone, Merope uera non fuerat parens.
OE. Quod subdititij præmium gnati petit?
SE. Regnum: superbam liberi astringunt fidem.
OE. Secreta thalami, fare, quo excipias modo.
SE. Hæ te parenti paruulum tradunt manus.
OE. Tu me parenti tradis? at quis me tibi?
SE. Pastor niuoso sub Citharonis iugo.
OE. In illa temet nemora quis casus tulit?
SE. Illo sequebar monte cornigeros greges.
OE. Nunc adijce certas corporis nostri notas.
SE. Forata ferro gesseras uestigia,
Tumore nactus nomen, ac uitio pedum.
OE. Quis fuerit ille, qui meum dono dedit
Corpus, requiro. SE. Regios pauit greges.
Minor sub illo turba pastorum fuit.
OE. Eloquere nomen. SE. Prima languescit senum
Memoria, longo lassa sublabens situ.
OE. Potés ne facie noscere, ac uultu uirum?

SE. For-

S E. Fortaſſe noſcam: ſæpe iam ſpatio obrutam
Leuis exoletam memoriam reuocat nota.
OE. Ad ſacra, & aras omne compulſum pecus
Duces ſequantur, ite propere, accerſite
Famuli, penes quos ſumma conſiſtit gregum.
* abſtulit *S E. Siue iſta ratio, ſiue fortuna * occulit,*
Latere ſemper patere quod latuit diu,
Sæpe cruentis ueritas patuit malo.
OE. Malum timeri maius hijs aliquod poteſt?
S E. Magnum eſſe magna mole quod petitur ſcias.
Concurrit illinc publica, hinc regis ſalus,
Vtrinq; patria: contine medias manus,
* ſe *Vt nil laceſſas ipſa * te fata explicant,*
Non expedit concutere felicem ſtatum.
OE. Tutò mouetur quicquid extremo in loco eſt.
S E. Nobilius aliquid genere regali appetis?
Ne te parentis pigeat inuenti, uide.
OE. Nec pœnitendi ſanguinis quæram fidem,
Sed noſſe certum eſt: ecce grandæuus Senex
Arbitria ſub quo regij fuerant gregis
Phorbas, refers ne nomen, aut uultum ſenis?
S E. Arridet animo forma, nec notus ſatis,
Nec rurſus iſte uultus ignotus mihi
Regnum obtinente Laio famulus greges
Agitaſti opimos ſub Cithæronis plaga.

PHOR.

PHORBAS. SENEX. OEDIPVS.

Trimetri Iambici.

LAetus Cithæron pabulo semper nouo
Aestiua nostro prata summittit gregi.
SE. Noscis ne memet? PH. Dubitat anceps memoria.
OE. Huic aliquis à te traditur quondam puer?
Effare, dubitas? cur genas mutat color?
Quid uerba quæris? ueritas odit moras.
PH. Obducta longo temporum tractu moues.
OE. Fatere, ne te cogat ad uerum dolor.
PH. Inutile isti munus infantem dedi.
Non potuit ille luce, non cœlo frui.
SE. Procul sit omen, uiuit, & uiuat precor.
OE. Superesse quare traditum infantem negas?
PH. Ferrum per ambos tenue transactum pedes
Ligabat artus: uulneri innatus tumor
Puerile fœda corpus urebat lues.
SE. Quid quæris ultra? fata iam accedunt propè
OE. Quis fuerit infans, edoce. PH. Probibet fides.
OE. Huc aliquis ignem: flamma iam excutiet fidem
Per tam cruentas uera quærenti uias.
PH. Ignosce quæso, si ferus uideor tibi.
Et impotens, iam parta uindicta in manu est.
OED. Dic uera, quis nam, quoue generatus patre.

Qua matre genitus? PH. Coniuge est genitus tua.
OED. Debisce tellus; tuq; tenebrarum potens
In tartara ima rector umbrarum rape
Retro reuersas generis, ac stirpis uices,
Congerite ciues saxa in infestum caput,
Mactate telis, me petat ferro parens,
Me natus, in me coniuges arment manus,
Fratresq;, & æger populus ereptos rogis
Iaculetur ignes: seculi crimen uagor,
Odium deorum, iuris exitium sacri.
Qua luce primum spiritus hausi reles,
Iam morte dignus: redde nunc animos parens,
Nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.
I, perge, propero regiam cursu pete,
Gratare matri liberis aucta domo.

CHORVS.

Coriambici uersus.

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem zephyro leui
Vela, ne pressæ graui
Spiritu antennæ tremant.
Lene sed modicum fluens
Aura, nec uergens latus

Ducat

Ducat intrepidam ratem,
Tuta me media uehat
Vita decurrente uia.
Gnosium regem timens,
Alta dum demens petit
Artibus fidens nouis,
Certat & ueras aues
Vincere, ac falsis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.
Callidus medium senex
Dædalus librans iter
Nube sub media stetit
Alitem expectans suam.
Qualis accipitris minas
Fugit, & sparsos metu
Colligit fœtus auis.
Donec in ponto manus
Mouit implicitas puer
Comes audacis uiæ.
Quicquid excessit modum,
Pendet instabili loco,
Sed quid hic postes sonat
Regios famulus manu
Mœstus, & quassans caput?

Ede, quid portes noui.

ACTVS QVINTVS.

In carmine nono, quod scibit trimetro iambico archiloico, ponitur quintus actus huius tragœdiæ, & est quomodo Oedipus sibi eruit oculos propter conscientiam scelerum, & diuiditur in duas partes, quia primo ostendit quomodo Oedipus se excœcauit, secundo chorus fatalis dispositionis immobilitatem canit carmine decimo, ibi: Fatis agimur. Primo ergo inducitur Nuntius narrans quomodo Oedipus seipsum excœcauit. Et hic duo facit, primo enim ostenditur quomodo conscius scelerum nimio dolore ac ira desæuit, secundo quomodo seipsum excœcauit: ibi. Quid pœnas moror. Quoniam ad primum dicit: Postquam.

Trimetri Iambici.

NVNTIVS.

PRædicta postquam fata, & infandum genus
Deprendit, ac se scelere conuictum Oedipus
Damnauit, ipse regiam infestus petens
Inuisa propero tecta penetrauit gradu.
Qualis per arua Libycus insanit Leo

Fuluam minaci fronte concutiens iubam:
Vultus furore toruus, atq; oculi truces.
Gemitus, & altum murmur, & gelidus fluit
Sudor per artus, spumat, & uoluit minas,
Ac mersus alte magnus exundat dolor,
Secum ipse sæuus grande, nescio quid, parat,
Suisq; fatis simile: quid pœnas moror?
Vt hoc scelestum pectus aut ferro petat,
Aut feruido aliquis igne, uel saxo domet?
Quæ tigris, aut quæ sæua uisceribus meis
Incurret ales? ipse tu scelerum capax
Sacer Cithæron, uel feras in me tuis
Emitte syluis, mitte uel rabidos canes,
Nunc redde Agauen: animo quid mortem times?
Mors innocentem sola fortunæ eripit.
Hæc fatus, aptat impiam capulo manum,
Ensemq; ducit: ita ne tam magnis breues
Pœnas sceleribus soluis? atq; uno omnia
Pensabis ictu? moreris? hoc patri sat est.
Quid deinde matri? quid male in lucem editis
Natis? quid ipsi, quæ tuum magna luit
Scelus ruina, flebili patriæ dabis?
Soluenda non est illa, quæ leges ratas
Natura in uno uertit Oedipode nouos
Commenta partus: supplicijs eadem meis

Nouetur, iterum uiuere, atq; iterum mori
Liceat: renasci semper, ut toties noua
Supplicia pendas, utere ingenio miser.
Quod sæpe fieri non potest, fiat diu,
Mors eligatur longa, quæratur uia,
Qua nec sepultis mistus, & uiuis tamen
Exemptus erres, morere, sed citra patrem
Cunctaris anime? subitus an uultus grauat
Perfusus imber? ac rigat fletu genas?
Et flere satis est? hactenus fundent leuem
Oculi liquorem, sedibus pulsi suis
Lachrymas sequantur, hi martiales statim
Fodiantur oculi, dixit, atq; ira furit.
Ardent minaces igne truculento genæ,
Oculiq; uix se sedibus retinent suis.
*uultus Violentus, audax, *mutus, iratus, ferox.
Tantum cruentus gemuit, & dirum fremens
Manus in ora torsit: at contra truces
Oculi steterunt, & suam intenti manum
Vltro insequuntur, uulneri occurrunt suo.
Scrutatur auidus manibus uncis lumina,
Radice ab ima funditus uulsos simul
Euoluit orbes: hæret in uacuo manus,
Et fixa penitus unguibus lacerat cauos
Alte recessus luminum, & inanes sinus,

sæuitq;

Sæuitq; frustra, plusq; quàm satis est, furit,
Tantum est periclum lucis: attollit caput,
Cauisq; lustrans orbibus cœli plagas,
Noctem experitur: quicquid effoßis male
Dependet oculis, rumpit, & uictor deos
Conclamat omnes: parcite en patriæ, præcor:
Iam iussa feci, debitas pœnas tuli.
Inuenta thalamis digna nox tandem meis.
Rigat ora fœdus imber, & lacerum caput
Largu[illegible] reuulsis sanguinem uenis uomit.

CHORVS.

Dimetri anapæstici.

FAtis agimur, cedite fatis. *credite
Non sollicite possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, uenit ex alto.
Seruatq; suæ decreta colus
Lachesis; dura reuoluta manu
Omnia certo tramite uadunt,
Primusq; dies dedit extremum.
Non illa deo uertisse licet,
Quæ nexa suis * currunt causis. *occurrũt
It cuiq; ratus prece non ulla

Mobilis ordo: multis ipsum
Timuisse nocet: multi ad fatum
Venere suum, dum fata timent.
Sonuere fores, atq; ipse suum
Duce non ullo molitur iter
Luminis orbus.

OEDIPVS. CHORVS. IOCASTA.

Trimetri Iambici.

BEne habet, peractum est, iusta persolui patri.
Iuuant tenebræ, quis deus tandem mihi
Placatus atra nube perfundit caput?
Quis scelera donat? conscium euasi diem.
Nil paricida dexteræ debes tuæ.
Lux te refugit, uultus Oedipodem hic decet.
CH. En ecce rapido sæua prosiluit gradu
Iocasta uecors: qualis attonita, & furens
Cadmea mater abstulit nato caput,
Sensitue raptum traxit: afflictum alloqui
Cupit, pauetq;, iam malis cessit pudor.
IO. Cupiunt, & horrent ora, nam quid te uocem?
Gnatum? ne dubites, natus es, natum pudet.
Immitis oro nate, quò auertis caput,
Vacuosq; uultus? OED. Quis frui tenebris uetat?

Quis reddit oculos? mater, an matris sonus?
Perdidimus operam, congredi fas amplius
Haud est, nefandos diuidat uastum mare,
Dirimatq; tellus abdita: & quisquis sub hoc
In alia uersus sydera ac solem * auium
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat.
IO. Fati ista culpa est, nemo fit fato nocens.
OED. Iam parce uerbis mater, & parce auribus.
Per has reliquias corporis trunci precor,
Per inauspicatum sanguinis pignus mei,
Per omne nostri nominis fas, & nefas.
IO. Quid anime torpes? socia cur scelerum dare
Pœnas recusas, omne confusum perit
Incesta per te iuris humani decus.
Morere, at nefastum spiritum ferro exige.
Non si ipse mundum concitans diuûm pater
Corrusca sæua tela iaculetur manu,
Vnquam repetendam sceleribus pœnas pares
Mater nefanda, mors placet, mortis uia
Quæratur, agédum commoda matri manum,
Si paricida es, restat hoc operi ultimum,
Rapiatur ensis, hoc iacet ferro meus
Coniunx, quid illum nomine haud uero uocas?
Socer est, utrúm ne pectori infigam meo
Telum? an patenti conditum iugulo imprimam?

* alium

Eligere nescis uulnus: hunc dextra, hunc pete
Vterum capacem, qui uirum, & natum tulit.
CH. Iacet perempta, uulneri immoritur manus,
Ferrumq; secum nimius eiecit cruor.
OED. Te fatidice, te præsidem ueri deum
Compello, solum debui fatis patrem,
Bis paricida, plusq; quàm timui nocens.
Matrem peremi, scelere confecta est meo.
O Phœbe mendax, fata superaui impia.
Pauitante gressu sequere fallaces uias
Suspensa plantis efferens uestigia.
Cæcam tremente dextera noctem rege.
I, gradere præceps, lubricos ponens pedes.
I, profuge, uade, siste, ne in matrem incidas.
Quicunq; fessi corpore, & morbo graues
Semanima trahitis corpora: en fugio, exeo,
Releuate colla, mitior cœli status
Post terga sequitur: quisquis exulem iacens
Animam retentat, uiuidos haustus leuis
* dispositis Concipiat: ite, ferte * depositis opem.
Mortifera mecum uitia terris extraho.
Violenta fata, & horridus morbi tremor,
Maciesq;, & atra pestis, & rabidus dolor
Mecum ite, mecum, ducibus hijs uti libet.

TRAGOE-

TRAGOEDIAE INTERLOCVTORES.

Hecuba.
Chorus mulierum.
Talthybius.
Agamemnon.
Calchas.
Helena.
Pyrrhus.
Andromacha.
Senex.
Vlysses.
Astyanax.
Nuntius.

TRAGOEDIA SEXTA, QVAE INSCRIBITVR TROAS.

ACTVS PRIMVS.

In hac tragœdia sunt actus quinq;, quorũ primus est planctus Hecubæ & Chori Troianorum de euersa Troia. Secundus actus est reuelatio somnij Talthybij in quo apparuit ei Achilles petens Polyxenam ad eius tumulum immolari & est cõdemnatio Polyxenæ Astyanactis'ꝗ ad mortem. Est planctus chori de statu animarũ post mortem, occasione eius quod dictum est de appariti one Achillis. Tertius est quomodo Vlysses

Astianactem filium Hectoris extorsit à matre Andromacha. Quartus est de occisione Polyxenæ ad tumulum Achillis. Quintus est determinatio mortis Polyxenæ & Astianactis filij Hectoris.

Primi Actus Argumentum.

In primo carmine, quod scribitur trimetro iambico, ferè usq; ad finem ponitur chori planctus & Hecubę de euersa Troia. Et primo Hecuba infortunia sua & Troiæ euersionem deplorat. Secundo chorum Troianorum mulierum ad plorandum inuitat. ibi: Lamenta. Quo loco duo tractantur, primo enim ex euersione Troiæ docet in prosperitate fortunæ non esse confidendum. Secundo prosequitur infortuniorum suorum planctum, ibi: Columen euersum. Quantum ad primum dicit: Quicunq; fidit,

Trimetri Iambici.

HECVBA.



icunq; regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues metuit deos,
Animumq; rebus credulum lætis dedit,

Me * ui-

Me * uideat, & te Troia: non unquam tulit * audiat.
Documenta fors maiora, quàm fragili loco
Starent superbi: columen euersum * occidit * cecidit
Pollentis Asiæ, cœlitum egregius labor:
Ad cuius arma uenit & qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit,
Et qui renatum prorsus excipiens diem
Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto:
Et quæ uagos uicina prospiciens Scythas
Ripam cateruis ponticam uiduis ferit
Excisa ferro est, pergamum incubuit sibi.
En alta muri decora congesti iacent:
Tectis adustis regiam flammæ ambiunt:
Omnisq; late fumat Assaraci domus.
Non prohibet auidas flamma uictoris manus.
Diripitur ardens Troia, nec cœlum patet
Vndante fumo, nube ceu densa obsitus,
Ater fauilla squalet Iliaca dies.
Stat auidus ira uictor, & lentum Ilium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoscit annis, horret afflictam quoq;,
Victamq; quamuis uideat, haud credit sibi
Potuisse uinci: spolia populator rapit
Dardania, prædam mille non capiunt rates.
Testor deorum numen aduersum mihi,

Patriæq;

Patriæq; cineres, teq; rectorem Phrygum.
Quem troia toto conditum regno tegit,
Tuosq; manes, quodq; stetit ante, Ilion,
Et uos meorum liberum magni greges
Vmbræ minores, quicquid aduersi accidit.
Quæcunq; Phœbus ore lymphato furens,
Credi deo uetante, prædixit mala,
Prior Hecuba uidi grauida, nec tacui metus,
Et uana Vates ante Cassandram fui.
Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes
Nocturnus in uos sparsit, aut fallax Sinon.
Meus ignis iste est, facibus * ardētis meis. *ardens
Sed quid ruinas urbis euerse gemis
Viuax senectus? respice infelix ad hos
Luctus recentes, Troia iam uetus est malum.
Vidi execrandum regiæ cædis nefas,
Ipsasq; ad aras maius admissum scelus
Aeacidæ armis: cum ferox sæua manu
Coma reflectens regium torta caput
Alto nefandum uulneri ferrum abdidit.
Quod penitus actum cum recepisset libens,
Ensis senili tinctum è iugulo redit.
Placare quem non potuit à cæde effera
Mortalis æui cardinem extremum premens.
Superiq; testes sceleris, & quondam sacrum

Regni

Regni iacentis: ille tot regum parens
Caret sepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia: non tamen * superi sat est. * superis
* Dominum ecce Priami nuribus, & natis legens * Donum
Sortitur urna: præda quem uilis sequar?
Hic Hectoris coniugia despondet sibi.
Hic optat Heleni coniugem, hic Antenoris.
Nec deest tuos Cassandra qui thalamos petat.
Mea sors timetur: sola sum Danais metus.
Lamenta cessant? turba captiuæ mea
Ferite palmis pectora, & planctus date.
Et iusta Troiæ facite: iamdudum sonet
Fatalis Idæ iudicis diri domus.

CHORVS MVLIERVM. HECVBA.

Anapæstici uersus.

NOn rude uulgus, lachrymisq; nouum
Lugere iubes: * hoc continuis * hic
Egemus annis: ex quo tetigit
Phrygius Graias hospes Amyclas,
Secuitq; fretum pinus matri
Sacra Cybelle: decies niuibus
Canuit Ide, Ide nostris
Nudata rogis, & sigeis

Trepidus

Trepidus campis decies secuit
* at *Messor aristas: * ut nulla dies*
Mœrore caret, sed noua fletus
Causa ministrat: ite ad planctus,
Miseramq́; læua regina manum
Vulgus dominam uile sequemur:
Non indociles lugere sumus.
HE. *Fide casus nostri comites*
Soluite crinem, per colla fluant
Mœsta capilli: tepido Troiæ
Puluere turpes paret exertos
Turba lacertos, ueste remissa
Substringe sinus, uteroq́; tenus
Pateant artus: cui coniugio
Pectora uelas captiue pudor?
Cingat tunicas palla solutas,
Vacet ad crebri uerbera planctus
Furibunda manus: placet hic habitus,
Placet agnosco Troada turbam.
Iterum luctus redeant ueteres,
Solitum flendi uincite morem.
Hectora flemus.
CHO. *Soluimus omnes lacerum multo*
* diuisa *Funere crinem: coma * dimissa est*
Libera nodo, sparsitq́; cinis

Feruidus

Feruidus ora.
HE. Complete manus, hoc ex Troia
Sumpsisse licet: cadat ex humeris
Vestis apertis, utrunq; tegat
Suffulta latus, iam nuda uocant
Pectora dextras nunc nunc uires
Exprome dolor: Rhœtea sonent
Littora planctu, habitansq; cauis
Montibus echo, non, ut solita est,
Extrema breuis uerba remittat.
Totos reddat Troia gemitus.
Audiat omnis pontus, & æther.
Sæuite manus, pulsu uasto
Tundite pectus, non sum solito
Contenta sono: Hectora flemus.
CHO. Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerosq; ferit tibi sanguineos.
Tibi nostra caput dextera pulsat.
Tibi maternis ubera palmis
Laniata iacent, fluit, & multo
Sanguine manat, quacunq; tuo
Funere feci rupta cicatrix.
Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisq; tuis

Stetit decem fulta per annos.
Tecum cecidit, summusq; dies
Hectoris idem, patriæq; fuit.
HE. Vertite planctus, Priamo ueſtros
Fundite fletus, ſatis Hector habet,
CHO. Accipe rector Phrygiæ planctus
Accipe fletus bis capite ſenex:
Nil Troia ſemel te rege tulit.
* Pulſata Bis * pulſari dardana graio
Mœnia ferro, bisq; pharetras
Paſſa Herculeas: poſt elatos
Hecubæ partus, regumq; rogos
Poſtrema pater funera cludis,
Magnoq; Ioui uictima cæſus
Sigea premis littora truncus.
HE. Aliò lachrymas flectite ueſtras,
Non eſt Priami miſeranda mei
Mors Iliades: felix Priamus
Dicite cunctæ: liber manes
Vadit ad imos, nec feret unquam
* Victa * Vincta Graium ceruice iugum.
Non ille duos uidit Atridas,
Nec fallacem cernit Vlyſſem.
Non argolici præda triumphi
Subiecta feret colla trophæis,
Non

Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit, currusq́; sequens
Agamemnonios aurea dextra
*Vincula gestans * latis fiet* * lætis
Pompa Mycenis. CH. *Felix Priamus,*
Dicimus omnes.
Secum excedens sua regna tulit:
Nunc Elysij nemoris tutus
Errat in umbris, interq́; pias
Felix a[illegible]nas Hectora quærit.
Felix Priamus,
Felix quisquis bello moriens,
Omnia secum consumpta uidet.

ACTVS SECVNDVS.

In carmine tertio ponitur secundus actus huius tragœdiæ, & est reuelatio somnij Talthybij, in quo apparuit ei Achilles petẽs Polyxenam ad eius tumulum immolari. Atq; primo inducitur quidam Talthybius nomine, plangens Græcorum in portu Troiano moram, secundo inquirens more huius carminis, tertio iterũ Talthybius narrans apparitionem Achillis per somnium sibi factum. ibi: Pauet animus. Quod ad primum attinet dicit: Quam longa.

Trimetri Iambici.

TALTHYBIVS. CHORVS.

Quàm longa Danais semper in portu mora,
Seu petere bellum, petere seu patriam uolunt.
CH. Quæ causa ratibus faciat, & Danais moram,
Effare, reduces quis deus claudat uias.
TAL. Pauet animus: artus horridus quassat tremor.
Maiora ueris monstra uix capiunt fidem.
Vidi ipse, uidi, summa iam Titan iuga
Stringebat, ortus uicerat noctem dies,
Cum subito cæco terra mugitu fremens
Concussa cæcos traxit ex imo sonos.
Mouere syluæ capita, & excelsum nemus
Fragore uasto tonuit, & lucus sacer,
Idæa ruptis saxa ceciderunt iugis:
Nec sola tellus tremuit, & pontus suum
Adesse Achillem sensit, ac strauit uada.
Tunc scissa tellus aperit immensos specus,
Et hiatus Erebi, peruium ad superos iter
Tellure fracta præbet, ac tumulum leuat.
Emicuit ingens umbra Thessalici ducis.
Threicia qualis arma præludens tuis
Iam Troia fatis strauit: aut Neptunium
Cana nitentem perculit iuuenem coma.

Aut

Aut cum inter acies * Marte uiolento furens * morte
Corporibus amnes clausit, & quærens iter
Tardus cruento Xanthus errauit uado.
Aut cum superbo uictor in curru stetit,
Egitq; habenas, Hectorem, & Troiam trahens,
Impleuit omne littus irati sonus.
Ite, ite inertes, debitos manibus meis
Auferte honores, soluite ingratas rates
Per nostra ituri maria: non paruo luet
Iras Achillis Græcia: at magno luet.
Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu mactetur, & tumulum riget.
Hæc fatus alta * uoce, dimisit diem, * nocte
Repetensq; Ditem mersus ingentem specum
Coëunte terra iunxit: immoti iacent
Tranquilla pelagi, uentus abiecit minas,
Placidumq; fluctu murmurat leni mare,
Triton ab alto cecinit hymenæum choro.

PYRRHVS. AGAMEMNON. CALCHAS. Trimetri Iambici.

CVm læta pelago uela rediturus dares,
Excidit Achilles: cuius unius manu
Impulsa Troia corruit tandem solo.
Breui repensans quicquid adiecit moræ:

Scyros, fretumq; Leſbos Aegeum ſecans
Illo remoto, dubia quò caderet ſtetit:
Velis licet, quod petitur, ac properes dare,
Serò es daturus: iam ſuum cuncti duces
Tulere pretium: quæ minor merces poteſt
Tantæ dari uirtuti? an is meruit parum
Qui fugere bellum iuſſus, & longa ſedens
Aeuum ſenecta degere, ac Pylij ſenis
Tranſcendere annos, exuit matris dolos,
Falſasq; ueſtes, faſſus eſt armis uirum?
Inhoſpitali Thelephus regno impo[illegible]s,
Dum Myſiæ ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit,
Fortemq; eandem ſenſit, & mitem manum.
Cecidere Thebæ, uidit Eetion capi
Sua regna uictus: clade ſubuerſa eſt pari
Appoſita celſo parua Lyrneſos iugo.
Captaq; tellus nobilis Briſeide,
Ch riſeis Et cauſa litis regibus * Chryſe iacet.
Et nota fama Tenedos, & quæ paſcuo
Fœcunda pingui Thracios nutrit greges,
Et ſacra Phœbo Cilla: quid quas alluit
Vernis Caicus gurgitem attollens aquis?
Hæc tanta clades gentium, ac tantus pauor,
Sparſæ tot urbes turbinis uaſti modo,

Alterius

Alterius esset gloria, ac summum decus.
* Iter est Achillis, sic meus uenit pater. * Inter
Et tanta geßit bella, dum bellum parat,
Vt alia sileam * merita, non unus satis * multa
Hector fuisset? Ilium uicit pater,
Vos diruistis: inclytas laudes iuuat,
Et clara magni facta genitoris sequi.
Iacuit peremptus Hector ante oculos patris,
Pariterq; Memnon, cuius ob luctum parens
Pallens moestum protulit uultu diem,
Suiq; uictor operis exemplum horruit,
Didicitq; Achilles, & deis natos mori.
Tum uersa Amazon ultimus cecidit timor,
Debes Achilli, merita si digne æstimas.
Et si Mycenis uirginem, atq; Argis petat.
Dubitatur etiam? placita nec subito probas?
Priamiq; natam Pelei nato ferum
Mactare credis? * at tuam natam parens * ac
Helenæ immolasti: solita iam & facta expeto.
AG. Iuuenile uitium est, regere non posse impetum.
Aetatis * alios feruor hic primæ rapit, * altus
Pyrrhum paternus: spiritus quondam truces,
Minasq; tumidi lentus Aeacidæ tuli.
Quo plura poßis, plura patienter feras.
Quid cæde dira nobilem clari ducis

Aspergis umbram? noscere hoc primum decet,
Quid facere uictor debeat, uictus pati.
Violenta nemo imperia continuit diu.
Moderata durant: quoq; fortuna altius
Euexit, ac leuauit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosq; casus tremere metuentem deos
Nimium fauentes, magna momento obrui
Vincendo didici: Troia nos tumidos facis,
Nimium ac feroces: stamus hoc Danai loco,
Vnde illa cecidit: fateor, aliquando impotens
Regno ac superbus altius memet tuli.
Sed fregit illos spiritus hæc, quæ dare
Potuisset alij causa, fortunæ fauor.
Tu me superbum Priame, tu timidum facis?
Ego esse quicquam sceptra nisi uano putem
Fulgore tectum nomen? & falso comam
Vinclo decentem? casus hæc rapiet breuis.
Nec mille forsan ratibus, aut annis decem.
Non omnibus fortuna tam lenta imminet.
Equidem fatebor, pace dixisse hoc tua
Argiua tellus liceat: affligi Phrygas
Vinciq; uolui: ruere, & æquari solo,
Etiam arguissem: sed regi frenis nequit
Et ira, & ardens hostis, & uictoria

Commissa nocti: quicquid indignum, aut ferum
Cuiquam uideri potuit, hoc fecit dolor,
Tenebræq́;, per quas ipse se irritat furor,
Gladiusq́; felix, cuius infecti semel
Vecors libido est: quicquid euersæ potest
Superesse Troiæ, maneat: exactum satis
Pœnarum, & ultra est, regia ut uirgo occidat,
Tumuloq́; dono detur, & cineres riget,
Et facinus atrox cædis, ut thalamos uocem.
Non pa[illegible]r: in me culpa cunctorum redit.
Qui non uetat * peccare, cum possit, iubet. * culpam
PYR. Nullum ne Achillis præmium manes ferent?
AG. Ferent: & illum laudibus cuncti canent,
Magnumq́; terræ nomen ignotæ audient.
Quod si leuatur sanguine infuso cinis,
Opima Phrygij colla cædantur gregis,
Fluatq́; nulli * flebili matri cruor. * flebilis
Quis iste mos est? quando in inferias homo est,
Impensus homini? detrahe inuidiam tuo
Odiumq́; patri, quem coli pœna iubes.
PYR. O tumide, rerum dum secundarum status
Extollit animos: timide, cum increpuit metus,
Regum Tyranne: idm ne flammatum geris
Amore * solito pectus, ac Veneris nouæ: * subito
Solus ne toties spolia de nobis feres?

Hac dextra Achilli uictimam reddam suam,
Quam si negas, retinesq;, maiorem dabo,
Dignamq; quam det Pyrrhus, & nimium diu
A cæde nostra regia cessat manus.
Paremq; poscit Priamus. AG. Haud equidem nego
Hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus.
Sæuo peremptus ense quod Priamus iacet
Supplex paternus. PY. Supplices nostri patris,
Hostesq; eosdem nouimus: Priamus tamen
Præsens rogauit, tu graui pauidus metu
* regendũ Nec ad * rogandum fortis, Aiaci preces,
* mandans Ithacoq; * mandas, clausus atq; hostem tremens.
* fatum AG. At non timebat tunc tuus * fateor parens,
* uastas Interq; cædes Græciæ, atq; * ustas rates:
Segnis iacebat belli, & armorum immemor,
Leui canoram uerberans plectro chelim.
PYR. Tunc magnus Hector arma contemnens tua
Cantus Achillis timuit, & tanto in metu
Naualibus pax alta Thessalicis fuit.
AG. Nempe iisdem in istis Thessalis naualibus
Pax alta rursus Hectoris patri fuit.
PYR. Est regis alti spiritum regi dare.
AG. Cur dextra regi spiritum eripuit tua?
PYR. Mortem misericors sæpe pro uita dabit.
AG. At nunc misericors uirgines busto petis.

PYR. Iam

PYR. Idm ne immolari uirgines credis nefas?
AG. Præferre patriam liberis regem decet.
PYR. Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.
AG. Quod non uetat lex, hoc uetat fieri pudor.
PYR. Quodcunq; libuit, facere uictori licet.
AG. Minimum decet libere, cui multum licet.
PYR. Hijs iſta iactas, quos decem annorum graui
Regno ſubactos Pyrrhus exoluit iugo.
AG. Hos Scyros animos? PY. Scelere quæ fratrũ caret.
AG. I[illegible]luſa fluctu. PY. Nempe cognati maris,
Atrei, & Thyeſt[illegible]bilem noui domum.
AG. Ex uirginis concepte furtiuo ſtupro,
Et ex Achille nate, ſed nondum uiro.
PYR. Illo ex Achille, genere qui mundum ſuo
Sparſus per omnem cœlitum regnum tenet.
Thetidæ æquor, umbras Aeaco, cœlum Ioue.
AG. Illo ex Achille, qui manu Paridis iacet.
PYR. Quem nec deorum comminus quiſquam petijt.
AG. Compeſcere equidem uerba, & audacem malo,
Poteram domare, ſed meus captis quoq;
Scit parcere enſis: potius interpres deûm
Calchas uocetur, fata ſi poſcunt, dabo.
Tu qui pelaſgæ uincla ſoluiſti rati,
Moraſq; bellis, arte qui reſcras polum,
Cui uiſcerum ſecreta, cui mundi fragor,

141

Et stella longa semitam flamma trahens
Dant signa fati: cuius ingenti mihi
Mercede constant ora, quid iubeat deus
Effare Calcha, nosq; consilio rege.
CH. Dant fata Danais, quo solent, pretio uiam.
Mactanda uirgo est Thessali busto ducis,
Sed quo iugari Thessalæ cultu solent,
Ionidesúe, uel Mycenææ nurus.
Pyrrhus parenti coniugem tradat suo,
Sic rite dabitur: non tamen nostras tenet
Hæc una puppes causa, nobilior tuo
Polyxena cruore debetur cruor,
Quem fata quærunt: turre de summa cadat
Priami nepos Hectoreus, & letum oppetat,
Tum mille uelis impleat classis freta.

CHORVS.

Choriambici Asclepiadei.

VErum est, an timidos fabula decipit,
Vmbras corporibus uiuere conditis?
Cum coniunx oculis imposuit manum,
Supremusq; dies solibus obstitit
Et tristes cineres urna coërcuit.
Non prodest animam tradere funeri,
Sed restat miseris uiuere longius.

An toti morimur? nullaq́; pars manet
Nostri? cum profugo spiritus halitu
Immistus nebulis cessit in aëra,
Et nudum tetigit subdita fax latus:
Quicquid sol oriens,, quicquid & occidens
Nouit: cœruleis oceanus fretis
Quicquid uel ueniens, uel fugiens lauat,
Aetas pegaseo corripiet gradu.
Quo bissena uolant sydera turbine,
Quo cursu properat secula uoluere
Astrorum dominus, quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus,
Hæc omnes petimus fata, nec amplius,
Iuratos superis qui tetigit lacus,
Vsquam est: ut calidis fumus ab ignibus
Vanescit spatium per breue sordibus:
Vt nubes grauidas quas modo uidimus,
Arctoi boreæ dissipat impetus:
Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
Post mortem nihil est, ipsaq́; mors nihil.
Velocis spatij meta nouissima.
Spem ponant auidi, solliciti metum.
Quæris quo iaceas post obitum loco?
Quo non nata iacent,
Tempus nos auidum deuorat, & chaos.

Mors

142

Mors indiuidua est noxia corpori,
Nec parcens animæ, Tænera, & aspero
* Rerum ** Regnum sub domino, limen & obsidens*
Custos non facili Cerberus ostio,
Rumores uacui, uerbáq; inania,
Et par sollicito fabula somnio.

ACTVS TERTIVS.

In carmine sexto, quod scribit trimetro iambico archiloico, ponit tertius actus huius tragœdiæ. Et est quomodo Vlysses filium Hectoris Astyanactem extorsit à matre Andromacha. Et diuiditur in duas partes, quia primo agit de eius occultatione, secundo de eius traditione, ibi: Dure minister. Prima pars in modum dialogi inter Andromacham uxorem Hectoris & senem Troianum uiginti unum sermones cõtinet. Primo enim Andromacha suũ infortunium & filij sui plangit, dicens: Phrygiæ.

Trimetri Iambici.

ANDROMACHA. SENEX. VLYSSES.

Q*Vid mœsta Phrygiæ turba laceratis comas?*
Miserumq; tunsæ pectus effuso genas

Fletu rigatis? leuia perpessæ sumus,
Si flenda patimur: Ilium uobis modo,
Mihi occidit olim, cum ferus curru incito
Mea membra raperet, & graui gemeret sono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
Tunc obruta, atq; euersa Troia concidit.
Torpens malis, rigensq; sine sensu feror.
Iam erepta Danais coniugem sequerer meum,
Nisi hic teneret, hic meos animos domat,
Moriq; prohibet: cogit hic aliquid deos
Adhuc rogare, tempus ærumnæ addidit.
Hic mihi malorum maximum fructum abstulit,
Nihil timere, prosperis rebus locus
Ereptus omnis, dira, qua ueniant, * habent. *hærent
Miserrimum est timere, cum speres nihil.
SE. Quis te repens commouit afflictam metus?
AN. Exoritur aliquid maius ex * magno malum. *malo
Nondum ruentis Ilij fatum stetit.
SE. Et quas reperiet, ut uelit, clades deus?
AN. Stygij profundi claustra, & obscuri specus
Laxantur, & ne desit euersis metus,
Hostes ab imo conditi tumulo exeunt:
Solis ne retro peruium est Danais iter?
Certe æqua mors est: turbat, atq; agitat Phrygas
Communis iste terror, hic proprie meum

Exterret

Exterret animum, noctis horrendæ ſopor.
SE. Quæ uiſa portent effer in medium, metus.
AN. Partes ferè nox alma tranſierat duas,
Clarumq; ſeptem uerterant ſtellæ iugum,
Ignota tandem uenit afflictæ quies,
Breuisq; feßis ſomnus obrepſit genis:
Si ſomnus ille eſt mentis attonitæ ſtupor:
Cum ſubito noſtros Hector ante oculos ſtetit.
Non qualis ultro bella in Argiuos ferens
Graias petebat facibus idæis rates.
Nec cæde uaſta qualis in Danaos furens
Vera ex Achille ſpolia ſimulato tulit.
Non ille uultus flammeum incendens iubar,
Sed feſſus, ac deiectus, & fletu grauis,
Similisq; noſtro, ſqualida obtectus coma:
Iuuat tamen uidiſſe: tum quaſſans caput
Depelle ſomnos, inquit, & natum eripe
O fida coniunx, lateat, hæc una eſt ſalus.
Omitte fletus, Troia quod cecidit, gemis?
Vtinam iaceret tota: feſtina, amoue
Quocunq; noſtræ paruulam ſtirpem domus:
Mihi gelidus horror, ac tremor ſomnum excutit,
Oculosq; nunc huc pauida, nunc illuc ferens,
Oblita nati miſera quæſiui Hectorem.
Fallax per ipſos umbra complexus abit.

O nate

O nate magni certa progenies patris,
Spes una Phrygibus, unica afflictæ domus,
Veterisq; soboles sanguinis nimium inclyti.
Nimiumq; patri similis, hos uultus meus
Habebat Hector: talis * incessu fuit, * incessus
Habituq; talis, sic tulit fortes manus,
Sic celsus humeris, fronte sic torua minax,
Ceruice fusam dißipans lata comam.
O nate serò Phrygibus, at matri cito,
Erit n[illegible]mpus illud, ac felix dies,
Quo troici defenso[illegible] uindex * soli, * mali
Recidiua ponas pergama, & sparsos fuga
Ciues reducas? nomen & patriæ suum,
Phrygibusq; reddas? sed mei fati immemor
Tam magna timeo uota, quod captis sat est,
Viuamus: heu me, quis locus fidus meo
Erit timori? quaue te sede occulam?
Arx illa pollens opibus, & muris deûm
Gentes per omnes clara, & inuidiæ capax,
Nunc puluis altus, strata sunt flamma omnia,
Superestq; uasta ex urbe ne tantum quidem,
Quo lateat infans: quem locum fraudi legam?
Est tumulus ingens coniugis cari sacer
Verendus hosti, mole quem immensa parens,
Opibusq; magnis struxit in luctos suos

Rex

144

Rex non auarus, optime credam patri.
Sudor per artus frigidus totos cadit,
Omen tremisco misera feralis loci.
SE. Hæc causa multos una ab interitu arcuit,
Credi perisse: uix spei quicquam est super.
Graue pondus illum magna nobilitas premit.
AN. Ne prodat aliquis. SE. Amoue testes doli.
AN. Si quæret hostis? SE. Vrbe in euersa perijt.
AN. Quid proderit latuisse redituro in manus?
SE. Victor feroces impetus primos habet.
AN. Quid quod latere sine metu magno nequit?
SE. Misero occupet præsidia, securus legat.
AN. Quis te locus, quæ regio seducta, inuia.
Tutò reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? qui semper, etiam nunc tuos
Hector tuere, coniugis furtum piæ
Serua, & fideli cinere uicturum excipe:
Succede tumulo nate: quid retro fugis?
Turpesq; latebras spernis? agnosco indolem.
Pudet timere, spiritus magnos fuge,
Animosq; ueteres: sume, quos casus dedit.
En intuere, turba quæ simus super.
Tumulus, puer, captiua: cedendum est malis.
Sanctas parentis conditi sedes, age
Aude subire: fata si miseros iuuant,

Habes

Habes salutem: fata si uitam negant,
Habes sepulchrum. SE. Claustra commissum tegunt.
Quem ne tuus producat in medium timor,
Procul hinc recede, teq́; diuersam amoue.
AN. Leuius solet timere, qui propius timet.
Sed, si placet, referamus hinc aliò pedem.
SE. Cohibe parumper ora, quæstusq́; opprime:
Gressus nefandos dux Cephalenum admouet.
AN. Dehisce tellus, tuq́; coniunx ultimo
Specu reuulsam scinde tellurem stygis,
Sinu profundo conde depositum meum.
Adest Vlysses, & quidem dubio gradu,
Vultuq́; *nectit pectore astus callidos. *uertit
VLY. Duræ minister sortis, hoc primum peto,
Vt ore quamuis uerba dicantur meo,
Non esse credas nostra: Graiorum omnium,
Procerumq́; uox est, petere quos seras domos
Hectorea soboles prohibet: hanc fata expetunt,
Sollicita danaos pacis incerte fides
Semper tenebit, semper à tergo timor
Respicere coget: arma nec poni sinet,
Dum Phrygibus animos natus euersis dabit
Andromacha. AN. Vester augur hoc Calchas canit?
VLY. Et si taceret augur hæc Calchas, tamen
Dicebat Hector, cuius & stirpem horreo.

S Generosa

Generosa in ortus semina exurgunt suos:
Sic ille magni paruus armenti comes,
Primisq; nondum cornibus findens cutem,
Ceruice subito celsus, & fronte arduus,
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quæ tenera cæso uirga de trunco stetit,
Par ipsa matri tempore exiguo subit,
Vmbrasq; terris reddit, & cœlo nemus.
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires resumit: est quidem iniustus dolor
Rerum æstimator, si tamen tecum exigas,
Veniam dabis, quod bella post annos decem,
Totidemq; menses iam senex miles timet:
Aliasq; clades rursus, ac nunquam bene
Troiam iacentem, magna res Danaos mouet
Futurus Hector: libera nos hoc metu.
Hæc una naues causa deductas tenet.
Hic classis hæret: neue crudelem putes,
Quod sorte iussus Hectoris natum petam.
Petissem Orestem: patere quod uictor tulit.
AN. Vtinam quidem esses nate materna in manu,
Nossemq; quis te casus ereptum mihi
Teneret, aut quæ regio: non hostilibus
Confossa telis pectus, aut uinclis manus
Secantibus præstricta, non acri latus

Vtrunq; flamma cincta, maternam fidem
Vnquam exuissem: nate quis te nunc locus,
Fortunaq; possedit? errore auio
Vagus arua lustras, uastus an patriæ uapor
Corripuit artus? sæuus an uictor tuo
Lusit cruore? nunquid immanis feræ
Morsu peremptus pascis Idæas aues?
VLY. Simulata remoue uerba, non facile est tibi
Decipere Vlyssem, uicimus matrum dolos,
Etiam dearum: cassa consilia amoue.
Vbi natus est? AN. Vbi Hector? ubi cuncti Phryges?
Vbi Priamus? unum quæris, ego quæro omnia.
VLY. Coacta dices, sponte quod fari abnuis.
AN. Tuta est, perire quæ potest, debet, cupit.
VLY. Magnifica uerba mors propè admota excutit.
AN. Si uis Vlysse cogere Andromacham metu,
Vitam minare, nam mori uotum est mihi.
VLY. Verberibus, igne, morte, cruciatu, eloqui
Quodcunq; cælas, adiget * inuitam dolor. * inuictam
Et pectore imo condita arcana eruet.
~~Necessitas plus posse, quàm pietas, * solet.~~ * potest
AN. Propone flammas, uulnera, & diras mali
Doloris artes, & famem, & sæuam sitim,
Variasq; pestes undiq;, & ferrum * inditum * ignitum
Visceribus ustis, carceris cæci luem,

146

Et quicquid audet uictor iratus tumens.
VLY. Stulta est fides, cælare quod prodas statim.
Animosa nullos mater admittis metus.
Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor,
Consulere paruis liberis Danaos monet,
Post arma tam longinqua, post annos decem.
Minus timerem, quos facis Calchas metus,
Si mihi timerem, bella Telemacho paras.
AN. Immiti Vlyßi gaudium, ac Danais dabo,
Dandum est, fatere, quos premis, luctus dolor.
Gaudete Atridæ, tuq; lætifica, ut soles,
Refer Pelasgis: Hectoris proles obit.
VLY. Et esse uerum hoc, qua probas Danais fide?
AN. Ita quod minari maximum uictor potest,
Contingat, & me fata maturo excitu
Faciliq; soluant, ac meo condant solo.
Et patria tellus Hectorem leuiter premat.
Vt luce caruit, inter extinctos iacet.
Datusq; tumulo debita exanimis tulit.
VLY. Expleta fata stirpe sublata Hectoris,
Solidamq; pacem lætus ad Danaos feram.
Quid agis Vlysse? Danaidæ credent tibi.
Tu cui? parenti: fingit an quicquam parens?
Nec abominandæ mortis auspicium pauet?
Auspicia metuunt qui nihil maius timent.
Fidem

Fidem alligauit iureiurando suam.
Si peierat, timere quid grauius potest?
Nunc aduoca astus * animę, nunc fraudes, dolos, * age
Et totum Vlyssem: ueritas nunquam latet.
Scrutare matrem: mœret, illachrymat, gemit,
Et huc, & illuc anxios gressus refert,
Missasq; uoces aure sollicita excipit.
Magis hæc timet, quàm mœret: ingenio est opus.
Alios parentes alloqui in luctu decet:
Tibi gratulandum est, misera quod nato cares,
Quem mors manebat sæua, præcipitem datum
E turre, lapsis sola quæ muris manet.
AN. Reliquit animus, membra quatiuntur, labant,
Torpetq; uinctus frigido sanguis gelu.
VLY. En tremuit, hac hac parte quærenda est mihi,
Matrem timor detexit, iterabo metum.
Ite ite celeres, fraude materna abditum
Hostem Pelasgi nominis, pestem ultimam,
Vbicunq; latitat, erutam in medium date.
Bene est, tenetur, perge, festina, attrahe.
Quid respicis? trepidasq;? iam certe perit.
AN. Vtinam timerem, solitus ex longo est metus.
Dediscit animus serò quod didicit diu.
VLY. Lustrale quoniam debitum muris puer
Sacrum antecessit, nec potest uatem sequi

147

Meliore fato raptus, hoc Calchas ait,
Modo piari posse redituras rates,
Si placet undas Hectoris sparsi cinis,
Ac tumulus imo totus æquetur solo.
Nunc ille quoniam debitam effugit necem,
Erit admouenda sedibus sacris manus.
AN. Quid agimus? animum distrahit geminus timor:
Hinc natus, illinc coniugis cari cinis.
Pars utra uincit? testor immites deos,
Deosq; ueros: coniugis manes mei.
Non aliud Hector in meo nato mihi,
Placere quam te, uiuat ut poßit tuos
Referre uultus: prorutus tumulo cinis
Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam
Disiecta uastis? potius hic mortem oppetat,
Poteris nefandæ deditum mater neci
Videre? poteris celsa per fastigia
Missum rotari? potero, perpetiar, feram,
Dum non meus post fata uictoris manu
Iactetur Hector: hic suam pœnam potest
Sentire, at illum fata iam in tuto locant.
Quid fluctuaris? statue, quem pœnæ extrahas.
Ingrata dubitas? Hector est illinc tuus.
Erras, utrinq; est Hector: hic sensu potens
Forsan futurus ultor extincti patris.

Vtriq;

Vtriq; parci non poteſt, quidnam facis?
Serua è duobus animæ, quem Danai timent.
VLY. Reſponſa peragam, funditus buſta eruam.
AN. Quæ uendidiſtis? VL. Pergã, & è ſummo aggere
Traham ſepulchra. AN. * Cœlitum appello fidem, * Cœli tamen
Fidemq; Achillis, Pyrrhe genitoris tui
Munus tuere. VLY. Tumulus hic campo ſtatim
Toto iacebit. AN. Fuerat hoc prorſus nefas
Danais inauſum, templa uiolaſtis, deos
Etiam fauentes, buſta tranſierat furor.
Reſiſtam, inermes offeram armatis manus?
Dabit ira uires: qualis argolicas ferox
Turmas Amazon ſtrauit: aut qualis deo
Percuſſa Mænas entheo, ſyluas gradu
Armata thyrſo terret, atq; expers ſui
Vulnus dedit, nec ſenſit: in medios ruam,
Tumuloq; cineris ſocia defenſo cadam.
VLY. Ceſſatis? & uos flebilis clamor mouet?
Furorq; caſſus fœminæ? iuſſa ocyus
Peragite. AN. Me me ſternite hic ferro prius.
* Repelle Auernum: rumpe fatorum * moras. * Rumpe animum * metas
Molire terras Hector, ut Vlyſſem domes,
* Vel umbra ſatis es, arma concuſſit manu. * Vel uerba ſatis eſt
Iaculatur ignes: cernitis Danai Hectorem?
An ſola uideo? VLY. Funditus cuncta erue.

AN. Quid ais? ruina mater, & natum, & uirum,
Prosternis una: forsitan Danaos prece
Placare poteris, conditum elidet statim
Immane busti pondus: intereat miser,
Vbicunq; potius, ne pater natum obruat,
Prematq; patrem natus, ad genua accido
* quanq; Supplex Vlysse, * quamq; nullius pedes
Nouere dextram, pedibus admoueo tuis,
Miserere matris, & preces placidus pias
Patiensq; recipe: quoq; te celsum altius
Superi leuarunt, mitius lapsos preme.
Misero datur, quodcunq; fortunæ datur.
Sic te reuisat coniugis sanctæ torus,
Annosq;, dum te recipit, extendat suos
Laërta, sic te iuuenis excipiat tuus,
Et uota uincens uestra felici indole,
Aetate auum transcendat, ingenio patrem.
Miserere matris: unicum afflictæ mihi
Solamen hic est. VLY. Exhibe natum, & roga.

ANDROMACHA.

Anapæstici.

HVc è latebris procede tuis
Flebile matris furtum miseræ,
Hic puer, hic est terror Vlysse

Mille

Mille carinis: submitte manus
Dominiq; pedes supplice dextra
Stratus adora: nec turpe puta
Quicquid miseros fortuna iubet:
Pone ex animo reges atauos,
Magniq; senis iura per omnes
Inclyta terras, excidat Hector.
Gere captiuum, positoq; genu,
Si tua nondum uulnera sentis,
Matris fletus imitare tuæ.
Vidit pueri regis lachrymas
Et Troia prior, paruusq; minas
Trucis Alcidæ flexit Priamus.
Ille ille ferox, cuius uastis
Viribus omnes cessere feræ.
Qui * perfracto limine Ditis, * fracto in feri
Cæcum retro patefecit iter.
Hostis parui uictus lachrymis,
Suscipe dixit, rector habenas,
Patrioq; sede celsus solio.
Sed sceptra fide meliore tene.
Hoc fuit illo uictore capi.
Discite mites Herculis iras:
An sola placent Herculis arma?
Iacet ante pedes non minor illo

Supplice supplex, uitamq; petit.
Regnum Troiæ, quocunq; uolet,
Fortuna ferat.

VLYSSES. ANDROMACHA. ASTYANAX.

Trimetri Iambici.

MAtris quidem me mœror attonitæ mouet:
Magis Pelasgæ me tamen matres mouent,
Quarum iste magnos crescit in luctus puer.
AN. An has ruinas urbis in cinerem datas
Hic excitabit? hæ manus Troiam erigent?
Nullas habet spes Troia, si tales habet.
Non sic iacemus Troës, ut cuiquam metus
Poßimus esse, spiritus genitor facit?
Sed nempe tractus ipse post Troiam pater
Posuisset animos, magna quos frangunt mala.
Si pœna petitur, quæ peti grauior potest?
Famulare collo nobili subeat iugum
Seruire liceat, aliquis hoc regi negat?
VLY. Non hoc Vlysses, sed negat Calchas tibi.
AN. O machinator fraudis, ô scelerum artifex,
Virtute cuius bellica nemo occidit,
Dolis, & astu maleficæ mentis iacent
Etiam Pelasgi: uatem, & insontes deos

Prætendis

Prætendis? hoc est pectoris facinus tui
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Iam solus audes aliquid & claro die.
VLY. Virtus Vlyßis nota Danais est satis,
Nimisq; Phrygibus: non uacat uanis diem
Conterere uerbis, anchoras claßis legit.
AN. Breuem moram largire, dum officium parens
Nato supremum reddo, & amplexu ultimo
Auidos dolores satio. VLY. Miserere tui
Vtinamq; liceret: quod tamen solum licet,
Tempus moramq; dabimus arbitrio tuo
Implere lachrymis: fletus ærumnas leuat.
AN. O dulce pignus, ô decus lapsæ domus,
Summumq; Troiæ funus, ô Danaum timor,
Genitricis ô spes uana, cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos aui
Medios precabar: uota destituit deus
Iliaca: non tu sceptra regali potens
Gestabis aula, iura nec populis dabis,
Victasq; gentes sub tuum mittes iugum,
Non graia cædes terga, non Pyrrhum trahes,
Non arma tenera parua tractabis manu,
Sparsasq; paßim saltibus latis feras
Audax sequeris, nec stato lustri die
Solenne * referens Troici lustri sacrum, *referes

Puer

150

Puer citatas nobilis turmas ages.
Non inter aras mobili uelox pede,
Reuocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica prisco templa saltatu coles.
O morte dira tristius leti genus:
Flebilius aliquid Hectoris magni nece
Muri uidebunt. VLY. Rumpe iam fletus parens.
Magnus sibi ipsi non facit finem dolor.
* nostris AN. Lachrymis \ lysse parua, * quā petimus, mora est.
mora est. Concede paruos, ut mea condam manu
Viuentis oculos: occidis paruus quidem,
Sed iam timendus, Troia te expectat tua.
I, uade liber, liberos Troas uide.
AST. Miserere mater. AN. Quid meos retines sinus?
Manusq; matris? cassa præsidia occupas.
Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum iuuencus applicat matri latus:
At ille sæuus matre summota leo,
Prædam minorem morsibus uastis premens
Frangit, uehitq;: talis è nostro sinu
Te rapiet hostis: oscula, & fletus puer
Lacerosq; crines excipe, & plenus mei
Occure patri: pauca maternæ tamen
Perfer querelæ uerba, si manes habent
Curas priores, nec perit flammis amor:

Seruire

Seruire graio pateris Andromachen iugo
Crudelis Hector? lentus, & segnis iaces.
Rediijt Achilles: sume nunc iterum comas,
Et sume lachrymas, quicquid è misero uiri
Funere relictum est, sume quæ reddas tuo
Oscula parenti, matris hanc solatio
Relinque uestem, tumulus hanc tetigit meus,
Manesq; cari, quicquid hic cineris latet,
Scrutabor ore. VLY. Nullus est flendi modus,
Abrumpe propere classis Argolicæ moram.

CHORVS.

Sapphici.

QVæ uocat sedes habitanda captas?
Thessali montes, & opaca Tempe?
* An uiros tellus dare militares *aptáq;
Aptior Pthie? meliorq; fœtu
Fortis armentis lapidosa * Trachin? *Trache
An maris uasti domitrix Iolchos?
Vrbibus centum spatiosa Crete?
Parua Gortyne? sterilisq; Trice?
An frequens ruscis leuibus Methone,
Quæ sub Oethæis latebrosa syluis
Misit infestos Troiæ ruinis
Non semel arcus?

Olenos

151

Olenos tectis habitata raris?
Virginis Pleuros inimica diuæ?
An lati maris sinuosa Trœzen?
Pelion regnum Protei superbum
Tertius cœlo gradus? Hic recumbens
Montis exesi spatiosus antro
Iam trucis Chiron pueri magister,
Tinnulas plectro feriente chordas,
* uerberat Tunc quoq; ingentes * acuebat iras
Bella canendo.
* uarij An ferax * rari lapidis Charystos,
An premens littus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet uento faciles echidnæ?
An carens nunquam Genoëssa uento?
Quæq; formidant Boream Enispæ?
Attica pendens Peparethos ora?
An sacris gaudens tacitis Eleusis?
Nunquid Aiacis Salamina ueri?
An uera notam Calydona sæua?
Quasúe perfundit subiturus æquor,
Segnibus terras Titaresos undis,
Bessan & Scarphen? Pilon an senilem?
Pharin? an pisam Iouis, & coronis
Elida claram?

Quolibet

Quolibet tristis miseras procella
Mittat, & donet cuicunq; terrae:
Dum luem tantam Troiae, atq; Achiuis
Quae tulit, Sparte procul absit, absit
Argos, & saeui Pelopis Mycenae.
Neritos parua breuior Zacyntho,
Et nocens saxis Ithace dolosis.
Quod manet fatum, dominusq; quis te
Aut quibus terris Hecube uidendam
Ducet? cuius moriere regno?

ACTVS QVARTVS.

In carmine decimo, q̃d scribit̃ trimetro iambico, ponitur quartus actus de occasione Polyxenes ad tumulum Achillis. Et habet haec pars quatuor, primo ostenditur quomodo Polyxenes induta parauit se, secundo quomodo Hecuba hac occasione renouat planctum infortunij sui, ibi: Adhuc. Tertio quomodo Helena mulieribus regię domus insinuauit captiuitatem earum, ibi. Magis uidebis. Quarto ponitur planctus chori de captiuitate mulierum Troianarum carmine undecimo, ibi: Dulce. Prima pars continet dialogum inter Helenam & Androma-

Andromacham uxorem Hectoris. Et habet sermones sex. In quorum primo inducitur Helena dolose promittẽs nuptias Polyxenæ, & exhortans ut nuptiales uestes induat. Et primo plangit se coactum ad hoc faciendum, secundo suadet sibi ipsi quod impositum est eis exequendũ: ibi. Si datur. Tertio prosequitur quod est ei impositum: ibi. Dardaniæ. Quantum ad primum dicit. Quicunq;.

Trimetri Iambici.

HELENA. ANDROMACHA. HECVBA.

Qvicunq; hymen funestus, illætabilis,
Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habens
Est auspice Helena dignus: euersis quoq;
Nocere cogor Phrygibus: ego Pyrrhi toros,
Narrare falsos iubeor, ego cultus dare
Habitusq; graios: arte capitur mea,
Meaq; fraude concidet Paridis soror:
Fraudetur, ipsi leuius hoc equidem reor.
Optanda mors est, sine metu mortis mori.
Quid iussa cessas agere? ad autorem redit
Sceleris coacti culpa: Dardaniæ domus

Generosa

Generosa uirgo, melior afflictos deus
Respicere cœpit, teq; felici parat
Dotare thalamo: tale coniugium tibi
Non ipsa sospes Troia, non Priamus daret,
Nam te pelasgæ maximum gentis decus
Ad sancta lecti iura legitimi * petit, * uocat
Cui regna campi lata Thessalici iacent.
Te magna Thetys, teq; tot pelagi deæ,
Placidumq; numen æquoris tumidi Thetys
Suam uocabunt: te datam Pyrrho socer
Peleus nurum uocabit, & Nereus nurum.
Depone cultus squalidos, festos cape.
Dedisce captam, deprime horrentes comas,
Crinemq; docta * patere distingui manu. * parem distingue
Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet: profuit multis capi.
AN. Hoc deerat unum Phrygibus euersis malum,
Gaudere, flagrant strata passim pergama.
O coniugale tempus, an quisquam audeat
Negare? quisquam dubius ad thalamos eat,
Quos Helena suadet? pestis, exitium, lues
Vtriusq; populi: cernis hos tumulos ducum?
Et nuda * totis ossa quæ passim iacent * cutis
Inhumata campis? Hæc Hymen sparsit tuus.
Tibi fluxit Asiæ, * fluxit Europæ cruor. * tibi

Cum dimicantes læta prospiceres uiros
Incerta uoti, perge, thalamos appara.
Tedis quid opus est? quidue solenni face?
Quid igne? thalamis Troia prælucet nouis.
Celebrate Pyrrhi Troades connubia,
Celebrate, digni planctus, & gemitus sonent.
HEL. Ratione quamuis careat, & flecti neget
Magnus dolor, sociosq; nonnunquam sui
Mœroris ipsos oderit: causam tamen
Possum tueri, iudice infesto meam
Grauiora passa, luget Andromacha Hectorem,
Et Hecuba Priamum: solus occulte Paris
Lugendus Helenæ est: durum & inuisum & graue est
Seruitia ferre: patior hoc olim iugum
Annis decem captiua: prostratum Ilium est,
Versi penates, perdere est patriam graue,
Grauius timere: uos leuat tanti mali
Comitatus, in me uictus, & uictor furit.
Quam quisq; famulam traheret, incerto diu
Casu pependit, me meus traxit statim
Sine sorte dominus: causa bellorum fui
Tantæq; Teucris cladis, hoc uerum puta:
Spartana puppis uestra si secuit freta,
Sin rapta Phrygijs præda remigibus fui,
Deditq; donum iudici uictrix dea,
Ignosce

Ignosce Paridi, iudicem iratum puta,
Habitura causa est, ista Menelaum manent
Arbitria: nunc hanc luctibus paulum tuis
Andromacha omissis flecte, uix lachrymas queo
Retinere. AN. Quantũ est Helena, quod lachrymat, malũ?
Cur lachrymat autem? fare quos Ithacus dolos,
Quæ scelera nectat: utrum ab idæis iugis
Iactanda uirgo est? arcis an celsæ edito
Mittenda saxo? num per has uastum in mare
Voluenda rupes? latere quas scisso leuat
Altum uadosos Sigeo spectans sinus?
Dic: * fare quicquid subdolo uultu tegis. * facere
Leuiora mala sunt cuncta, quàm Priami gener
Hecubæq; Pyrrhus, fare quam pœnam pares,
Exprome, & unum hoc deme nostris cladibus,
Falli, paratas perpeti mortem uides.
HEL. Vtinam iuberet me quoq; interpres deûm
Abrumpere ense lucis inuisæ moras,
Vel Achillis ante busta furibunda manu
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua
Polyxena miseranda, quam tradi sibi,
Cineremq; Achilles ante mactari suum,
Campo maritus ut sit Elysio, iubet.
AN. Vide ut animus * ingens lætus audierit necem, * lugens
Cultus decoros regiæ uestis petit,

Et admoueri crinibus patitur manum,
Mortem putabat illud, hoc thalamos putat,
At misera luctu mater audito stupet,
Labefacta mens succubuit, assurge, alleua
Animum, & cadentem misera firma spiritum,
Quàm tenuis animę uinculo pendet leui.
Minimum est, quod Hecubam facere felicem potest.
Spirat, reuixit: prima mors miseros fugit.
HEC. Adhuc Achilles uiuit in pœnas Phrygum,
Adhuc rebellat, ô manum Paridis leuem.
Cinis ipse nostrum sanguinem, ac tumulus sitit.
Modo turba felix latera cingebat mea,
Lassabar in tot oscula, & in totum gregem
Diuidere matrem, sola nunc hæc est super
Votum comes, leuamen afflictæ quies,
Hæc totus Hecubæ fœtus, hac sola uocor
Iam uoce mater: dura, & infelix age,
Elabere anima: deniq; hoc unum mihi
Remitte funus: irrigat fletus genas,
Imberq; uicto subitus è uultu cadit.
Lætare, gaude nade, quàm uellet tuos
Cassandra thalamos, uellet Andromache tuos.
AN. Nos Hecuba, nos nos Hecuba lugendæ sumus.
Quas mota classis huc, & huc sparsas feret
* patrijs Hanc cara tellus sedibus * patris teget.
HEL. Magis

HEL. Magis inuidebis, si tuam sortem scias.
AN. An aliqua pœnæ pars meæ ignota est mihi?
HEL. Versata dominos * urna captiuis dedit. *Troia*
AN. Cui famula tradar, ede, quem dominum uoco?
HEL. Te sorte prima Scyrius iuuenis tulit.
AN. Cassandra felix, quam furor sorte eximit,
Phœbusq́. HEL. Regum hanc maximus rector tenet.
HEC. Est ne aliquis, Hecubam qui suam dici uelit?
HEL. Ithaco obtigisti præda nolenti breuis.
HEC. Quis tam impotens, ac dirus, & iniquæ ferus
Sortitor urnæ regibus reges dedit?
Quis tam sinister diuidit captas deus?
Quis arbiter crudelis, & miseris grauis
Eligere dominos nescit? & seua manu
Dat iniqua miseris fata? quis matrem Hectoris
Armis Achillis miscet? ad Vlyssem uocor.
Nunc uicta, nunc captiua, nunc cunctis mihi
Obsessa uideor cladibus, domini pudet,
Non seruitutis, Hectoris spolium feret.
Qui tulit Achillis: sterilis, & sæuis fretis
Inclusa tellus num capit tumulos meos?
Duc, duc Vlysse, nil moror, dominum sequor.
Me mea sequentur fata: non pelago quies
Tranquilla ueniat: sæuiat uentis mare,
Et bella, & ignis, & mea, & Priami mala:

155

Dumq́; iſta uenient, interim hæ pœna in loco eſt.
Sortem occupaui, præmium eripuit mihi,
Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu,
Vultuq́; toruo: Pyrrhe quid ceſſas? age
Reclude ferro pectus, & Achillis tui
Coniunge ſoceros, perge mactator ſenum.
Et hic decet te ſanguis: abreptam trahit.
Maculate ſuperos cæde funeſta deos,
Maculate manes: quid preces uobis? precor
Hijs digna ſacris æquora, hoc claſſi accidat
Toti Pelaſgæ, ratibus hoc mille accidat,
Meæ precabor, cum uehar, quicquid rati.

CHORVS.

Sapphici.

DVlce mœrenti populus dolentum,
Dulce lamentis reſonare gentes.
Lentius luctus, lachrymæq́; mordent,
Turba quas fletu ſimili frequentant.
Semper ah ſemper dolor ipſe magnus
Gaudet in multos ſua fata mitti,
Seq́; non ſolum patuiſſe pœnæ.
Ferre, quam ſortem patiuntur omnes,
Nemo recuſat.
Nemo ſe credit miſerum, licet ſit:

Tolle

Tolle felices, remoueto multo
Diuites auro, remoueto centum
Rura qui scindant opulenta bobus,
Pauperi surgent animi iacentes.
Est miser nemo nisi comparatus.
Dulce in immensis posito ruinis,
Neminem lætos habuisse uultus.
Ille deplorat, queriturq́; fatum,
Qui secans fluctum rate singulari
Nudus in portus cecidit petitos.
Aequior casum tulit, & procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui uidit, tabulaq́; littus
Naufraga spargi, mare cum coactis
Fluctibus Chorus prohibet reuerti.
Questus est Hellen cecidisse Phryxus,
Cum gregis ductor radiante uillo
Aureo, fratrem simul, & sororem
Sustulit tergo, medioq́; iactum
Fecit in ponto: tenuit querelas
Et uir, & Pyrrha, mare cum uiderent,
Et nihil, præter mare, cum uiderent,
Vnici terris homines relicti.
Soluet hunc * questum, lachrymasq́; nostras * metum
Sparget huc illuc agitata classis.

Et tuba iußi dare uela nautæ,
Cum semel uentis properante remo
Prenderint altum, fugientq́; littus.
Quis status mentis miseris, ubi omnis
Terra decrescet, pelagusq́; crescet?
Celsa cum longe latitabit Ide.
Tum puer matri, genitrixq́; nato,
Troia qua iaceat regione monstrans
Dicet, & longe digito notabit.
Ilium est illic, ubi fumus alte
Serpit in cœlum, nebulæq́; turpes.
Troës hoc signo patriam uidebunt.

ACTVS QVINTVS.

In carmine duodecimo & ultimo, q̊d scribit̃ trimetro iambico, in quo ponit̃ quintus actus & ultimus istius tragœdiæ, & est determinatio Polyxenę et Astyanactis filij Hectoris, & primo nunciatur mors utriusq; in generali, secundo prosequit̃ de morte utriusq; in speciali, ibi: Expone. Tria hic tractā tur, primo enim inducitur Nuntius ueniens cum Hecuba ad Andromacham, annuncians eius luctum, & quærens causam eius luctus, petitq́; ut primum omniū referat quænam sit tāti luctus causa. Vnde dicit: O dira.

Trimetri Iambici.

NVNTIVS. ANDROMACHA. HECVBA.

O Dira fata, sæua, miseranda, horrida,
* Quod tam ferum, tam triste, bis quinis scelus * Quid
Mars uidit annis? * quod prius referens gemam? * quid
Tuos ne potius? an tuos luctus anus?
HEC. Quoscunq; luctus fleueris, flebis meos.
Sua quemq; tantum, me omnium clades premit.
Mihi cuncta pereunt: quisquis est, Hecubæ est, miser.
NVN. Mactata uirgo est, missus è muris puer:
Sed uterq; letum mente generosa tulit.
AN. Expone seriem cædis, & duplex nefas
Prosequere: gaudet animus ærumnas meus
Tractare totas: ede, & enarra omnia.
NVN. Est una magna turris è Troia super
Assueta Priamo, cuius è fastigio
Summisq; pinnis, arbiter belli sedens
Regebat acies: turre in hac blando sinu
Fouens nepotem, cum metu uersos graui
Danaos fugaret Hector: & ferro, & face,
Paterna puero bella monstrabat senex.
Hæc nota quondam turris, & muri decus,
Nunc sæua cautes, undiq; effusa ducum

Plebisq; turba cingitur, totum coit
Ratibus relictis uulgus, hijs collis procul
Aciem patenti liberam praebet loco.
Hijs alta rupes, cuius è cacumine
Erecta summos turba librauit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus tegit.
Et tota populo sylua suspenso tremit.
Extrema montis ille praerupti petit.
Semusta at ille tecta, uel saxum imminens
Muri cadentis pressat: atq; aliquis, nefas,
Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.
Per spatia late plena sublimi gradu
Incedit Ithacus, paruulum dextra trahens
*at Priami nepotem: * nec gradu segni puer
Ad alta pergit moenia: ut summa stetit
Pro turre, uultus huc & huc acres tulit
Intrepidus animo: qualis ingentis ferae
Paruus, tenerq; foetus, & nondum potens
Saeuire dente, iam tamen tollit minas,
Morsusq; inanes tentat, atq; animus tumet.
Sic ille dextra prensus hostili puer
*uulgus Ferox, superbe mouerat * uulgum, ac duces,
Ipsumq; Vlyssem: non flet è turba omnium,
Qui fletur: ac dum uerba fatidici, & preces
Concipit Vlysses uatis, & saeuos ciet

Ad sacra

Ad sacra superos, sponte dissiluit sua
In media Priami regna.
AN. Quis Colchus hæc, quis sedis incertæ Scytha
Commisit? aut quæ Caspium tangens mare
Gens iuris expes ausa? non Busiridis
Puerilis aras sanguis aspersit feri.
Nec parua gregibus membra Diomedes suis
Epulanda posuit: quis tuos artus teget?
Tumuloq; tradet? NVN. Quos enim præceps locus
Reliquit artus? ossa disiecta graui
Elisa casu, signa clari corporis,
Et ora, & illas nobilis patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum.
Soluta ceruix, silicis incussu caput
Ruptum cerebro penitus expresso, iacet
Deforme corpus. AN. Hic quoq; est similis patri.
NVN. Præceps ut altis cecidit è muris puer,
Fleuitq; Achiuûm turba, quod fecit, nefas,
Idem ille populus aliud ad facinus redit,
Tumulumq; Achillis, huius extremum latus
Rhœtea leni uerberant fluctu uada.
Aduersa cingit campus, & cliuo leui
Erecta medium uallis includens locum
Crescit theatri more: concursus frequens
Impleuit omne littus: hij classis moras

Hac morte solui rentur, hij stirpem hostium
Gaudent recidi: magna pars uulgi leuis
Odit scelus, spectatq́; nec Troës minus
Suum frequentant funus, & pauidi metu
Partem ruentis ultimam Troiæ uident.
Cum subito thalami more præcedunt faces,
It pronuba illi Tyndaris mœstum caput
*modo Demissa: tali nubat Hermione * face,
Phryges precantur, sic uiro turpis suo
Reddatur Helena, terror attonitos mouet
Vtrosq; populos: ipsa deiectos gerit
Vultus pudore: sed tamen fulgent genæ,
Magisq́; solito splendet extremus decor.
Vt esse Phœbi dulcius lumen solet
Iam iam cadentis, astra cum repetunt uices,
Premiturq́; dubius nocte uicina dies.
Stupet omne uulgus, & ferè cuncti magis
Vt peritura laudant: hos mouet formæ decus,
*uariæ Hos mollis ætas, hos * uagæ rerum uices:
Mouet animus omnes fortis, & leto obuius.
Pyrrhum antecedit: omnium mentes tremunt,
Miserentur, ac mirantur: ut primum ardui
Sublime montis tetigit, atq; alte editus
Iuuenis paterni uertice in busti stetit,
Audax uirago non tulit retro gradum,

Conuersa

Conuersa ad ictum stat truci uultu ferox.
Tam fortis animus omnium mentes ferit.
Nouumq; monstrum est: Pyrrhus ad cædem piger.
Vt dextra ferrum penitus exacta abdidit,
Subitus recepta morte prorupit cruor
Per uulnus ingens: nec tamen moriens adhuc
Deponit animos: cecidit, ut Achilli grauem
Factura terram, prona, & irato impetu:
Vterq; fleuit cœtus: at timidum Phryges
Misere gemitum, clarius uictor gemit.
Hic ordo sacri: non stetit fusus cruor,
Humoue summa fluxit, abduxit statim
Sæuusq; totum sanguinem tumulus bibit.
HEC. Ite, ite Danai, petite iam tuti domos,
Optata uelis maria diffusis secet
Secura classis: concidit uirgo, ac puer.
Bellum peractum est: quò meas lachrymas feram?
Vbi hanc anilis expuam leti moram?
Natam, an nepotem? coniugem, an patriam fleam?
An omnia? an * me? sola mors uotum meum
Infantibus uiolenta * uirginibus uenis.
Vbicunq; properas sæua, me solam times,
Vitasq; gladios inter, ac tela, & faces.
Quæsita tota nocte cupientem fugis.
Non hostis, aut ruina, non ignis meos.

* me solam
* & uirginibus meis

Absumpsit

*a Absumpsit artus: quàm prope * ac Priamo stetit?
NVN. Repetite celeri maria captiuæ gradu,
Iam uela puppis laxat, & classis mouet.

TRAGOEDIAE INTERLOCVTORES.

Medea.	Creon.	Chorus.
Iason.	Nutrix.	Nuntius.

TRAGOEDIA SEPTIMA, QVAE INSCRIBITVR MEDEA.

ACTVS PRIMVS.

Medeæ actus quinq; quo quilibet loco incipiat.

Continet autẽ hæc tragœdia actus quinque, quorum primus est turbatio Medeæ, orta propter nouam sponsam, Iasonis scilicet & Creusæ. Secundus actus est compulsio Medeæ in exilium à rege Creonte, & incipit, ibi: Occidimus aures. Tertius actus est gestus furiosus Medeæ post condemnationẽ eius in exiliũ, & incipit, ibi: Alumna celerẽ. Quartus est executio sceleris & uindictæ

dictæ in nouam sponsam & patrem eius, & incipit, ibi: Pauet animus. Quintus est occisio filiorum Iasonis & Medeæ & incipit, ibi: Periere cuncta.

Actus primus Medeæ.

In carmine autem primo, primi actus huius tragœdiæ, quod scribitur metro archiloico ponitur turbatio Medeæ pro noua sponsa, & primo deos in fauorem suum inuocat, dicens: Dij.

Trimetri Iambici.

MEDEA.



I coniugales, tuq; genialis tori
Lucina custos, quæq; domitorem freti
Tiphyn nouam frenare docuisti ratē,
Et tu profundi sæue dominator maris,
Clarumq; Titan diuidens orbi diem,
Tacitisq; præbens conscium sacris iubar
Hecate triformis; quosq; iurauit mibi
Deos Iason, quosq; Medeæ magis
Fas est precari: Noctis æternæ chaos,
Aduersa superis regna, manesq; impios,
Dominumq; regni tristis, & dominam fide

Meliore

Meliore raptam, uoce non fausta precor,
Adeste, adeste sceleris ultrices deæ,
Crinem solutis squalidæ serpentibus,
Atram cruentis manibus amplexæ facem,
Adeste, thalamis horridæ quondam meis
Quales stetistis: coniugi letum nouæ,
Letumq; socero, & regiæ stirpi date.
Mihi peius aliquod, quod precer sponso malum,
Viuat: per urbes erret ignotas egens,
Exul, pauens, inuisus, incerti laris,
Me coniugem optet, limen alienum expetat,
Iam notus hospes: quoq; non aliud queam
Peius precari, liberos similes patri,
Similesq; matri, parta iam parta ultio est,
Peperi, querelas, uerbaq; incassum sero.
Non ibo in hostes? manibus excutiam faces,
Cæloq; lucem? spectat hoc nostri sator
Sol generis, & spectator, & curru insidens
Per solita puri spatia decurrit poli,
Num redit in ortus, & remetitur diem?
Da, da per auras curribus patris uehi,
Committe habenas genitor, & flagrantibus
Ignifera loris tribue moderari iuga.
Gemino Corinthus littori opponens moras
Cremata flammis maria committat duo.

Hoc restat unum: pronubam thalamo feram
Vt ipsa pinum: postq; sacrificas preces
Cædam dicatis uictimas altaribus,
Per uiscera ipsa quære supplicio uiam,
Si uiuis anime, si quid antiqui tibi
Remanet uigoris, pelle fœmineos metus,
Et inhospitalem caucasum mente indue.
Quodcunq; uidit Phasis, aut pontus nefas,
Videbit Isthmos, effera, ignota, horrida,
Tremenda cœlo pariter, ac terris mala.
Mens intus agitat uulnera, & cædem, & uagos
Funus per artus, leuia memoraui nimis.
Hæc uirgo feci: grauior exurgat dolor.
Maiora iam me scelera post partus decent.
Accingere ira, teq; in exitium para
Furore toto, paria narrentur tua
Repudia thalamis, quo uirum linques modo?
Hoc quo secuta es, rumpe iam segnes moras.
Quæ scelere parta est, scelere linquetur domus.

CHORVS.

Asclepiadei, & partim Glyconici.

AD regum thalamos numine prospero,
Qui cœlum superi, quiq; regunt fretum
Adsint, cum populis rite fauentibus.

161

Primus sceptriferis colla tonantibus,
Taurus celsa ferat tergore candido.
Lucinam niuei fœmina corporis
Intentata iugo placet, & asperi
Martis sanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet diuite copiam,
Donetur tenera mitior hostia.
Et tu qui facibus legittimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera
Huc incede gradu marcidus ebrios,
Præcingens roseo tempora uinculo.
Et tu quæ gemini præuia temporis
Tarde stella redis semper amantibus.
Te matres auidæ, te cupiunt nurus,
Quamprimum radios spargere lucidos.
Vincit uirgineus decor
Longe cecropias nurus.
Et quæ Taygeti iugis
Exercent iuuenum modo.
Muris quod caret, oppidum.
Et quas aonius latex,
Alpheusq; sacer lauat,
Cedent Aesonio duci,
Si forma uelit aspici.

Proles

Proles fulminis improbi,
Aptat qui iuga Tigribus.
Nec non qui Tripodas mouet,
Frater uirginis asperæ.
Cedent Castore cum suo
Pollux cæstibus aptior.
Sic sic cœlicolæ, precor,
Vincat fœmina coniuges.
Vir longe superet uiros.
Hæc cum uirgineo constitit in choro,
Vnius facies præminet omnibus.
Sic cum sole perit sydcribus decor,
Et densi latitant Pleiadum greges,
Cum Phœbe solitum lumine non suo
Orbem circuitis cornibus alligat.
Ostro sic niueus phœniceo color
Perfusus rubuit, sic nitidum iubar
Pastor luce noua roscidus aspicit.
Ereptus thalamis Phasidos horridis,
Effrenæ solitus pectora coniugis
Inuita trepidus prendere dextera.
Felix Aoniam prendito uirginem.
Nunc primum soceris sponte uolentibus
Concesso iuuenes ludite iurgio.
Hinc illinc iuuenes mittite carmina.

Rara est in dominos iusta licentia.
Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei,
Multifidam iam tempus erat succendere pinum.
Excute solennem digitis marcentibus ignem.
Festa dicax fundat conuicia fesceninus.
Soluat turba iocos, tacitis eat illa tenebris,
Siqua peregrino nubit fugitiua marito.

ACTVS SECVNDVS.

In carmine tertio, quod scribit trimetro iambico, ponitur actus secundus huius tragoediae, qui est cōpulsio Medeae in exilium à rege Creonte & ponitur primo haec compulsio, secundo inducitur chorus arguens audaciam illius qui primo cōmisit se nauigio carmine quarto: ibi. Audax nimium. Primo ponit quomodo Medea cum nutrice de scelere committendo deliberauit, secundo qualiter rex eam in exilium compulit: ibi. Medea. Primo sic procedit, quia primo Medea audiens cantum chori in cuius fine ipsa contemnitur, admiratur ingratitudinem Iasonis uolentis introducere aliam sponsam, & de uindicta accipienda deliberans dicit: Occidimus.

Trimetri Iambici.

MEDEA

MEDEA. NVTRIX.

Occidimus, aures pepulit hymenæus meas.
Vix ipsa tantum, uix adhuc credo malum.
Hæc facere Iason potuit? erepto patre,
Patria, atq; regno, sedibus solam exteris
Deserere? durus merita contempsit mea,
Qui scelere flammas uiderat uinci, & mare?
Adeóne credit omne consumptum nefas?
Incerta uecors, mente non sana feror
Partes in omnes: unde me ulcisci queam?
Vtinam esset illi frater, est coniunx, in hanc
Ferrum exigatur, hæc meis satis est malis.
Si quod Pelasgæ, si quod urbes barbaræ
Nouere facinus, quod tuæ ignorant manus,
Nunc est parandum, scelera te hortentur tua,
Et cuncta redeant: inclytum regni decus
Raptum, & nefandæ uirginis paruus comes
Diuisus ense, funus incestum patri,
Sparsúmq; ponto corpus, & Peliæ senis
Decocta aheno membra, funestum impie
Quàm sæpe fudi sanguinem: at nullum scelus
Irata feci, sæuit infelix amor,
Quid tamen Iason potuit alieni arbitrij
Iurísq; factus? debuit ferro obuium

Offerre pectus: melius, ah melius dolor
Furiose loquere: si potest, uiuat meus
Vt fuit, Iason, si minus, uiuat tamen.
Memorq; nostri muneri parcat meo,
Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens
Coniugia soluit, quiq; genitricem abstrahit
Natis, & arcto pignore astrictam fidem
Dirimit, petatur, solus hic pœnas luat,
Quas debet, alto cinere cumulabo domum,
Videbit atrum uerticem flammis agi,
Malea longas nauibus flectens moras.
NV. Sile obsecro, questusq; secreto subditos
Manda dolori: grauia quisquis uulnera
Patiente, & æquo motus animo pertulit,
Referre potuit: ira, quæ tegitur, nocet.
Professa perdunt odia uindictæ locum.
ME. Leuis est dolor, qui capere consilium potest,
Et clepere sese: magna non latitant mala,
Libet ire contra. NV. Siste furialem impetum
Alumna, uix te tacita defendit quies.
*iuuat ME. Fortuna fortes *metuit, ignauos premit.
NV. Tunc est probanda, si locum uirtus habet.
ME. Nunquam potest non esse uirtuti locus.
NV. Spes nulla monstrat rebus afflictis uiam.
Qui nil potest sperare, desperet nihil.

NV. Abiere Colchi coniugis nulla est fides,
Nihilq; superest opibus è tantis tibi.
ME. Medea superest, hic mare, & terras uides,
Ferrumq;, & ignes, & deos, & fulmina.
NV. Rex est timendus. ME. Rex meus fuerat pater.
NV. Non metuis arma? ME. Sint licet terra edita.
NV. Moriere. ME. Cupio. NV. Profuge. ME. Pœnitu it fugæ.
Medea fugiam? NV. Mater es. ME. Cui sim uides.
NV. Profugere dubitas? ME. Fugiam, at ulciscar prius.
NV. Vindex sequetur. ME. Forsan inueniam moras.
NV. Compesce uerba, parce iam demens minis,
Animosq; minue, tempori aptari decet,
ME. Fortuna opes auferre, non animum potest,
Sed cuius ictu regius cardo strepit?
Ipse est pelasgo tumidus imperio Creon.

CREON. MEDEA.

Trimetri Iambici.

Medea Colchi noxium Aeetæ genus,
Nondum meis exportet è regnis pedem?
Molitur aliquid, nota fraus, nota est manus.
Cui parcet illa? quemue securum sinet?
Abolere propere pessimam ferro luem
Equidem parabam, precibus euicit gener,
Concessa uita est, liberet fines metu.

Abeatq; tuta, fert gradum contra ferox,
Minaxq; nostros propius effatus petit,
Arcete famuli tactu, & accessu procul,
Iubete sileat, regium imperium pati
Aliquando discat: uade ueloci uia,
Monstrumq; sæuum, horribile, iandudum auehe.
ME. Quod crimen, aut quæ culpa multatur fuga?
CR. Quæ causa pellat, innocens mulier rogat?
ME. Si iudicas, cognosce, si regnas, iube.
CR. Aequum, atq; iniquum regis imperium feras.
ME. Iniqua nunquam regna perpetuo manent.
CR. I, querere Colchis. ME. Redeo, qui auexit, ferat.
CR. Vox constituto sera decreto uenit.
ME. Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Aequum licet statuerit, haud æquus fuit.
CR. Auditus à te Pelia supplicium tulit.
Sed fare, causæ detur egregie locus.
ME. Difficile quàm sit animum ab ira flectere
Iam concitatum, quamq; regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admouit manus,
Qua cœpit ire, regia didici mea.
Quamuis enim sim clade miseranda obruta,
Expulsa, supplex, sola, deserta, undiq;
Afflicta, quondam nobili fulsi patre,
Auoq; clarum Sole deduxi genus:

Quodcunq;

Quodcunq; placidis flexibus Phaſis rigat,
Pontuſq; quicquid Scythicus à tergo uidet,
Paluſtribus qua maria dulceſcunt aquis,
Armata peltis quicquid exterret cohors
Incluſa ripis uidua Thermodontijs,
Hoc omne noſter genitor imperio regit,
Generoſa, felix, decore regali potens
Fulſit: petebant tunc meos thalamos uiri,
Qui nunc petuntur: rapida fotuna, ac leuis,
Præc[illegible]ſq; regno eripuit, exilio & dedit.
Confi[illegible]e regnis, cu[illegible]euis magnas opes
Huc ferat, & illuc caſus: hoc reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere: ſolum hoc Colchico regno extuli,
Decus illud ingens, * Græciæ florem inclytum, *gloriæ
Præſidia Achiuæ gentis, & prolem deum
Seruaſſe memet: munus eſt Orpheus meum,
Qui ſaxa cantu mulcet, & ſyluas trahit.
Geminumq; munus Caſtor, & Pollux meum eſt,
Satiq; Borea: quiq; trans pontum quoq;
Summota Lyceus lumine immiſſo uidet.
Omneſq; Minyæ: nam ducum taceo ducem,
Pro quo nihil debetur, hunc nulli imputo.
Vobis reuexi cæteros: unum mihi

Inceſſe nunc, & cuncta flagitia ingere.
Fatebor: obici crimen hoc ſolum poteſt
Argo reuerſa: uirgini placeat pudor,
Paterq́; placeat: tota cum ducibus ruet
Pelaſga tellus: hic tuus primus gener
Tauri ferocis ore flagranti occidet.
Fortuna cauſam, qua uolet, noſtram premat.
Non pœnitet ſeruaſſe tot regum decus.
Quodcunq; culpa præmium ex omni tuli,
Hoc eſt penes te, ſi placet, damna ream,
Sed redde crimen, ſum nocens, fateor, Creon,
Talem ſciebas eſſe, cum genua attigi,
Petijq́; ſupplex præſidis dextræ fidem.
Terra hac miſerijs angulum, & ſedem rogo,
Latebraſq́; uiles: urbe ſi pelli placet,
Detur remotus aliquis in regnis locus.
CR. Non eſſe me qui ſceptra uiolenter geram,
* miſeros Nec qui ſuperbo * miſerias calcem pede,
Teſtatus equidem uideor haud clare parum,
Generum exulem legendo, & afflictum, & graui
Terrore pauidum, quippe te pœnæ expetit,
Letoq́; Acaſtus regna Theſſalica obtinens,
Senio trementem debili, atq; æuo grauem
Patrem peremptum queritur, & cæſi ſenis
Diſciſſa membra, cum dolo captæ tuo

Piæ ſorores

Piæ ſorores impium auderent nefas.
Poteſt Iaſon, ſi tuam cauſam amoues,
Suam tueri: nullus innocuum cruor
Contaminauit, abfuit ferro manus,
* Prorſuſq; ueſtro purus à cœtu ſtetit. * Proculq;
Sed tu malorum machinatrix facinorum,
Cui fœminea nequitia ad audendum omnia
Virile robur, nulla famæ memoria eſt:
Egredere, purga regna, letales ſimul
Tecum aufer herbas, libera ciues metu.
Alia ſedens tellure ſollicita deos.
ME. Profugere cogis, redde fugienti ratem,
Vel redde comitem, fugere cur ſolam iubes?
Non ſola ueni, bella ſi metuis pati,
Vtrunq; regno pelle: cur ſontes duos
Diſtinguis? illi Pelia, non nobis iacet.
Fugam, rapinas, adijce deſertum patrem,
Lacerumq; fratrem, quicquid etiamnum nouam
Docet maritus coniugem, non eſt meum.
Toties nocens ſum facta, ſed nunquam mihi.
CR. Iam exiſſe decuit, quid ſeris fando moras?
ME. Supplex recedens illud extremum precor,
Ne culpa natos matris inſontes trahat.
CR. Vade, hos paterno, ut genitor, excipiam ſinu.
ME. Per ego auſpicatos regij thalami toros,

Per

166

Per ſpes futuras, perq; regnorum ſtatus,
Fortuna uaria dubia quos agitat uice,
Precor, breuem largire fugienti moram.
Dum extrema natis mater infigo oſcula
Fortaſſe moriens. CR. Fraudibus tempus petis.
ME. Quæ fraus timeri tempore exiguo poteſt?
CR. Nullum ad nocendum tempus anguſtum eſt malis.
ME. Parum ne miſeræ temporis lachrymis negas?
CR. Et ſi repugnat precibus infelix timor,
Vnus parando dabitur exilio dies.
* abſcindas ME. Nimis eſt, & ex hoc aliquid * abſcidas li[illegible]
CR. Et ipſa propera, capite ſuppl[illegible]um lues,
Clarus priuſquam Phœbus attollat diem,
Niſi cedis Iſthmo: ſacra me thalami uocant,
Vocat precari feſtus Hymenæo dies.

CHORVS.

Anapæſtici uerſus.

AVdax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terraſq; ſuas poſt terga uidens,
Animam leuibus credidit auris,
Dubioq; ſecans æquora curſu
Potuit tenui fidere ligno,
Inter uitæ, mortiſq; uias

Nimium gracili limite ducto,
Nondum quisquam ſydera norat,
Stelliſq; quibus pingitur æther
Non erat uſus: nondum Pliadas,
Hyadas poterant uitare rates,
Non Oleniæ ſydera capræ:
Non quæ ſequitur, flectitq; ſenex
Arctica tardus plauſtra Bootes.
Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nome[illegible]habebant.
Auſus Tiphys pa[illegible]re uaſto
Carbaſa ponto, legesq; nouas
Scribere uentis: nunc lina ſinu
Tendere toto: nunc prælato
Pede tranſuerſos captare Notos,
Nunc antennas medio tutas
Ponere malo: nunc in ſummo
Religare loco, cum iam totos
Auidus nimium nauita flatus
Optat, & alto rubicunda tremunt
Suppara uelo.
Candida noſtri ſecula patres
Videre procul fraude remota,
Sua quiſq; piger littora tangens,
Patrioq; ſenex factus in aruo

Paruo diues: nisi quas tulerat
Natale solum, non norat opes.
Bene dissepti fœdera mundi
Traxit in unum Thessala pinus,
Iussitq́; pati uerbera pontum,
Partemq́; metus fieri nostri
Mare sepositum: dedit illa graues
Improba pœnas per tam longos
Ducta timores: cum duo montes
Claustra profundi, hinc atq; illinc
Subito impulsu, uelut ætherio
Gemerent sonitu, spargeret astra
Nubesq́; ipsas mare depressum.
Palluit audax Tiphys, & omnes
Labente manu misit habenas:
Orpheus tacuit torpente lyra,
Ipsaq́; uocem perdidit Argo.
Quid cum Siculi uirgo Pelori
Rabidos utero succincta canes,
Omnes pariter soluit hiatus?
Quis non tot horruit artus
Toties imo latrante malo?
Quid cum Ausonium diræ pestes
Voce canora mare mulcerent?
Cum pieria resonans cithara

Thracius

Thracius Orpheus, solitam cantu
Retinere rates, penè coëgit
Sirena sequi? quod fuit huius
Pretium cursus? aurea pellis,
Maiusq; mari Medea malum,
Merces prima digna carina,
Nunc iam cessit pontus, & omnes
Patitur leges: non Palladia
Compacta manu regum referens
Inclyta remis queritur Argo.
Quælibet altum cymba pererrat:
Terminus omnis notus, & urbes
Muros terra posuere nouos,
Nil qua fuerat sede reliquit
Peruius orbis: Indus gelidum
Potat Araxem: Albin Persæ,
Rhenumq; bibunt: uenient annis
Secula feris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphysq; nouos
Detegat orbes, nec sit terris
Vltima Thule.

ACTVS TERTIVS.

In carmine quinto, quod scribit trimetro iambico, ponitur tertius actus huius tragœdiæ,

gœdiæ, & est gestus furiosus Medeæ post condemnationem eius in exilium. Et primo ponitur istius gestus, secundo inducitur chorus incidenter describens infelicē euentum ardua aggredientium, carmine sexto, ibi: Nulla uis. Primoq́; describitur disceptatio eius cum Nutrice, secundo cum Iasone: ibi. O dura fata. Prima pars cōtinet sermones quinq; in quorum primo inducitur Nutrix suadens Medeæ comprimere iras, & hoc primum facit, dicens: O alumna.

Trimetri Iambici.

NVTRIX. MEDEA.

*ALumna celerem quò rapis * tectis pedem?* * extra
Resiste, & iras comprime, ac retine impetum.
Incerta qualis entheos cursus tulit,
Cum iam recepto Mænas insanit deo,
Pindi iugalis uertice, aut Nisæ iugis
Talis recursat huc & huc motu effero,
Furoris ore signa lymphati gerens,
Flammata facies spiritum ex alto citat,
Proclamat, ô superi, oculos fletu rigat.
Renidet, omnis specimen affectus capit,
Hæret, minatur, æstuat, queritur, gemit.

Quò

Quò pondus iſtud uerget? ubi ponet minas?
Vbi ſe iſte fluctus franget? exundat furor.
Non facile ſecum uerſat, aut medium ſcelus.
Se uincet, iræ nouimus ueteres notas.
Magnum aliquid inſtat, efferum, immane, impium,
Vultum furoris cerno: dij fallant metum.
ME. Si quæris odio miſera quem ſtatuas modum,
Imitare amorem: regias egó ne ut faces
Inulta patiar? ſegnis hic ibit dies?
Tanto [illegible]itus ambitu, tanto datus?
Dum terra cœlum r[illegible]lia libratum feret,
Nitidusq; certas mundus euoluet uices,
Numerusq; arenis deerit, & ſolem dies,
Noctem ſequentur aſtra, dum ſiccas polus
Verſabit arctos, flumina in pontum cadent,
Nunquam meus ceſſabit in pœnas furor.
Creſcetq; ſemper: quæ ferarum immanitas,
Quæ Scylla, quæ Charybdis, Ionium mare
Siculumq; ſorbens, quæq; anhelantem premens
Titana, tantis Aetna feruebit minis?
Non rapidus amnis, non procelloſum mare,
Pontusq; Coro ſæuus, aut uis ignium
Adiuta flatu, poßit inbibere impetum,
Iraſq; noſtras: ſternam, & euertam omnia.
Timuit Creontem, ac bella Theſſalici ducis.

Amor timere neminem uerus potest.
Sed cesserit conuictus, & dederit manus,
Adire certe, & coniugem extremo alloqui
Sermone potuit, hoc quoq; extimuit ferox.
Laxare certe tempus immitis fugæ
Genero licebat: liberis unus dies
Datus duobus: non queror tempus breue.
Multum patebit, faciet, hic faciat dies,
Quod nullus unquam taceat, inuadam deos,
Et cuncta quatiam. NV. Recipe turbatum malè
Hera pectus, animum mitiga. ME. Sola est quies,
Mecum ruina cuncta si uideo obruta.
Mecum omnia abeant, trahere, cum pereas, libet.
NV. Quàm multa sint timenda, si perstas uide.
Nemo potentes aggredi tutus potest.

IASON. MEDEA.

Trimetri Iambici.

O Dura fata semper, & sortem asperam,
Cum sæuit, & cum parcit ex æquo malam:
Remedia toties inuenit nobis deus
Periculis peiora: si uellem fidem
Præstare meritis coniugis, leto fuit
Caput offerendum: si mori nolim, fide
Misero carendum est: non timor uincit uirum,
Sed trepida pietas: quippe sequeretur necem

Proles

Proles parentum: O sancta, si cœlum incolis,
Iustitia, numen inuoco, ac testor tuum:
Nati patrem uicere: quin ipsam quoq;,
Et si ferox est corde, nec patiens iugi,
Consulere natis malle, quàm thalamis, reor.
Constituit animus precibus iratam aggredi:
Atq; ecce, uiso memet, exiluit, furit,
Fert odia præ se, totus in uultu est dolor.
ME. Fugimus Iason, fugimus, hoc non est nouum
Mutare sedes, causa fugienda noua est:
Pro te solebam fugere, discedo, exeo.
Penatibus profugere quam cogis tuis,
Ad quos remittis? Phasin & Colchos petam?
Patriumq; regnum? quæq; fraternus cruor
Perfudit arua? quas peti terras iubes?
Quæ maria monstras? pontici fauces freti?
Per quas reuexi nobiles regum manus
Adulterum secuta per Symplegadas?
Paruam ne Iolcon, Thessala an tempe petam?
Quascunq; aperui tibi uias, clausi mihi.
Quò me remittis? exuli exilium imperas,
Nec das: eatur, regius iussit gener.
Nihil recuso, dira supplicia ingere,
Merui: cruentis pellicem pœnis premat
Regalis ira, uinculis oneret manus,

Clausamq́; saxo noctis æternæ obruat,
Minora meritis patiar ingratum caput.
Reuoluat animus igneos tauri halitus,
Interq́; sæuos gentis indomitæ metus,
Armifero in aruo flammeum Aeetæ pecus,
Hostisq́; subtili tela: cum iussu meo
Terrigena miles mutua cæde occidit.
Adijce expetita spolia phryxei arietis,
Somnoq́; iussum lumina ignoto dare
Insomne monstrum: traditum fratrem neci,
Et scelere in uno non semel factum scelus,
Iussasq́; natas fraude deceptas mea,
Secare membra non reuicturi senis:
Alienaq́; sequens regna, deserui mea.
Per spes tuorum liberum, & certum larem,
Per uicta monstra, per manus, pro te quibus
Nunquam peperci, perq́; præteritos metus,
Per cœlum, per undas, coniugij testes mei,
Miserere, redde supplici felix uicem.
Ex opibus illis, quas procul raptas Scythæ
Vsq; à perustis Indiæ populis petunt,
Referta quasq; uix domus gazas capit,
Ornamus auro nemora: nil exul tuli
Nisi fratris artus, hos quoq; impendi tibi.

Tibi

Tibi patria ceßit, tibi pater, frater, pudor,
Hac dote nupsi, redde fugienti sua.
IA. Perimere cum te uellet infestus Creon,
Lachrymis meis euictus exilium dedit.
ME. Pœnam putabam, munus, ut uideo, est fuga.
IA. Dum licet abire, profuge teq; hinc eripe,
Grauis ira regum est semper. ME. Hoc suades mihi?
Præstas Creusæ, pellicem inuisam amoues.
IA. Medea amores obijcis? ME. Et cædem, & dolos.
IA. Obijcere crimen quod potes tandem mihi?
ME. Quodcunq; feci. IA. Restat hoc unum insuper,
Tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.
ME. Tua illa, tua sunt illa: cui prodest scelus,
Is fecit, omnes coniugem infamem arguant,
Solus tuere, solus insontem uoca.
Tibi innocens sit quisquis est pro te nocens.
IA. Ingrata uita est, cuius acceptæ pudet.
ME. Retinenda non est, cuius acceptæ pudet.
IA. Quin potius ira concitum pectus doma,
Placare natis. ME. Abdico, * eiuro, abnuo, * euito
Meis Creusa liberis fratres dabit?
Regina natis exulum afflictis potens?
Non ueniat unquam tam malus miseris dies,
Qui prole fœda misceat prolem inclytam,
Phœbi nepotes Sisyphi nepotibus.

IA. Quid misera meq; teq; in exitium trahis?
Abscede quæso. ME. Supplicem audiuit Creon.
IA. Quid facere possim, loquere. ME. Pro me? uel scelus.
IA. Hinc rex, & illinc. ME. Est & hijs maior metus
Medea, nos * conflige, certemus, sine
Sit pretium Iason. IA. Cedo defessus malis.
Et ipsa casus sæpe iam expertos time.
ME. Fortuna semper omnis intra me stetit.
IA. Acastus instat, propior est hostis Creon.
ME. Vtrunq; profuge, nolo ut in socerum manus
Armes, nec ut te cæde cognata inquines.
Medea cogit, innocens mecum fuge.
IA. Et quis resistet, gemina si bella ingruant?
Creo atq; Acastus arma si iungant sua?
ME. Hijs adijce Colchos adijce Aeetem ducem,
Scythas Pelasgis iunge, demersos dabo.
IA. Alta extimesco sceptra. ME. Ne cupias, uide.
IA. Suspecta ne sint, longa colloquia amputa.
ME. Nunc summo toto Iuppiter cælo tona,
Intende dextram, uindices flammas para,
Omnemq; ruptis nubibus mundum quate,
Nec diligenti tela librentur manu
In me uel istum, quisquis è nobis cadet,
Nocens peribit: non potest in nos tuum
Errare fulmen. IA. Sana meditari incipe,

* cōfugere

Et placida

Et placida fare, si quid ex soceri domo
Potest fugam leuare, solamen pete
ME. Contemnere animus regias, ut scis, opes
Potest, soletq;, liberos tantum fugæ
Habere comites liceat, in quorum sinu
Lachrymas profundam: te noui nati manent.
IA. Parere precibus cupere me fateor tuis,
Pietas uetat: nanq; istud haud possum pati,
Non si ipse memet cogat & rex, & socer,
Hæc causa uitæ est, hoc perusti pectoris
Curis leuamen: spiritu citius queam
Carere, membris, luce. ME. Si hic natos amat,
Bene est, tenetur, uulneri patuit locus.
Suprema certe liceat abeuntem loqui
Mandata, liceat ultimum amplexum dare.
Gratum est, & illud uoce iam extremo peto:
Ne si qua noster dubius effudit dolor,
Maneant in animo uerba, sed melior tibi
Memoria nostri subeat: hæc iræ data
Obliterentur. IA. Omnia ex animo expuli,
Precorq;, & ipsa feruidam ut mentem regas,
Placideq; tractes: miserias * lenit quies. * leuat
ME. Discessit, ita ne est? uadis oblitus mei
Et tot meorum facinorum? excidimus tibi,
Nunquam excidemus: hoc age, omnes aduoca

172

Vires, & artes, fructus est scelerum tibi,
Nullum scelus putare, uix fraudi est locus,
Timemur, hac aggredere, qua nemo potest
* Fraudem * Quicquam timere: perge, nunc aude, incipe,
Quicquid potes Medea, quicquid non potes.
Tu fida nutrix socia mœroris mei,
Variíq; casus, misera consilia adiuua,
Est palla nobis munus ætheriæ domus,
Decusq; regni, pignus Aetæ datum
A sole: gemmis est, & auro textili
Monile fulgens, quodq; gemmarum nitor
Distinguit aurum, quo solent cingi comæ:
Hæc nostra nati dona nubenti ferant:
Sed ante diris illita, ac tincta artibus.
Vocetur Hecate: sacra luctifica apparat:
Struantur aræ, flamma iam tectis sonet.

CHORVS.

Sapphici uersus.

NVlla uis flammæ, tumidiq; uenti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta, cum coniunx uiduata tedis
Ardet, & odit.
Non ubi hybernos nebulosus imbres
Auster aduexit, properatq; torrens

Ister, & iunctos uetat esse pontes,
Ac uagus errat.
Non ubi impellit Rhodanus profundum,
Aut ubi in riuos niuibus solutis
Sole iam forti, medioq; uere
Tabuit Hæmus.
Cæcus est ignis stimulatus ira,
Ne regi curat, patiturúe frenos,
Haud timet mortem, cupit ire in ipsos
Obuius enses.
Parcite ô diui, ueniam precamur,
Viuat ut tutus mare qui subegit.
Sed furit uinci dominus profundi
Regna secunda.
Ausus æternos agitare currus
Immemor metæ iuuenis paternæ,
Quos polo sparsit, furiosus ignes
Ipse recepit.
Constiti nulli uia nota magno,
Vade, qua tutum populo priori,
Rumpe nec sancti uiolenta mundi
Fœdera sacra.
Quisquis audacis tetigit carinæ
Nobiles remos, nemoris sacrati
Pelion densa spoliauit umbra.

Quisquis intrauit scopulos uagantes,
Et tot emensus pelagi labores,
Barbara funem religauit ora,
Raptor externi rediturus auri,
Exitu diro temerata ponti
Iura piauit.
Exigit pœnas mare prouocatum.
Tiphys in primis domitor profundi,
Liquit indocto regimen magistro
* extremo Littore * externo procul à paternis
Occidens regnis, tumuloq́; uili
Tectus, ignotas iacet inter umbras,
* Aulis * Auris amissæ memor inde * reges
amißi Portubus lentis retinet * carina
* regis Stare querentes.
* carinas Ille uocali genitus camœna,
Cuius ad chordas modulante plectro
Restitit torrens, siluere uenti,
Cui suo cantu uolucris relicto
Adfuit tota comitante sylua,
Thracios sparsus iacuit per agros,
Ad caput tractu fluuialis Hebri,
Contigit notam stygа, tartarumq́;
Non rediturus.
Strauit Alcides Aquilone natos,

Patre

Patre Neptuno genitum necauit,
Sumere innumeras solitum figuras.
Ipse post terræ, pelagiq; pacem,
Post feri Ditis patefacta regna,
Viuus ardenti recubans in Oeta
Præbuit sæuis sua membra flammis,
Tabe consumptus gemini cruoris
Munere nuptæ.
Strauit * Ancæum uiolentus ictu * Antæum
Setiger: fratres Meleagre matris
Impius mactas, morerisq; dextra
Matris iratæ: meruere cuncti,
Morte quod crimen tener expiauit
Herculi magno puer irrepertus,
Raptus est tutas puer inter undas.
Ite nunc fortes perarate pontum
Sorte timenda.
Idmonem quamuis bene fata nosset,
Condidit serpens libycis arenis.
Omnibus uerax, sibi falsus uni
Concidit Mopsus, caruitq; Thebis.
Ille si uere cecinit futura,
Exul errauit Thetidis maritus.
Igne fallaci nociturus Argis
Nauplios præceps cadit in profundum,

Patrio

Patrio pendit crimine pœnas.
Fulmine, & ponto moriens Oileus,
Coniugis fatum redimens Pheræi
Vxor impendit animam marito.
Ipse qui prædam, spoliumq; iussit
Aureum prima reuehi carina,
Vstus accenso Pelias aheno
Arsit angustas uagus inter undas.
Iam satis diui mare uindicastis,
Parcite iusso.

ACTVS QVARTVS.

In carmine septimo ponitur actus quartus huius tragœdiæ, & est executio sceleris & uindictæ in nouam sponsam & patrem eius, & primo ponit executionē huius uindictæ, secundo inducitur chorus detestans malitiam Medeę carmine decimo: ibi. Quonam. Primo aūt inducit Nutrix narrans & abhorrens facta Medeæ, secundo inducitur Medea exequens ordinem uindictæ, secunda parte carminis huius, ibi: Vos precor. Primo ergo cum horrore & detestatione narrat gesta Medeæ, dicens: Animus.

Trimetri

Trimetri Iambici.

NVTRIX.

PAuet animus, horret, magna pernicies adest.
Immane quantum augescit, & semet dolor
Accendit ipse, uimq́; præteritam integrat.
Vidi furentem, sæpe & aggressam deos
Cœlum trahentem, maius hijs, maius parat
Medea monstrum: nanq; ut attonito gradu
Eua[illegible] & penetrale funestum attigit,
Totas opes effud[illegible] & quicquid diu
Etiam ipsa timuit, promit, atq; omnem explicat
Turbam malorum: arcana, secreta, abdita,
Et triste læua complicans sacrum manu,
Pestes uocat, quascunq; feruenti creat
Arena Libyæ, quasq́; perpetua niue
Taurus coërcet frigore arctoo rigens.
Et omne monstrum, tracta magicis * cantibus * artibus
Squamea latebris turba desertis adest.
Hic fera serpens corpus immensum trahit,
Trifidamq́; linguam exertat, * & quærens quibus * inquirens
Mortifera ueniat, carmine audito stupet,
Tumidumq́; nodis corpus aggestis plicat,
Cogitq́; in orbes: parua sunt, inquit, mala,
Et uile telum est, ima quod tellus creat:

Cœlo

Cælo petam uenena, iam nunc tempus est
Aliquid mouere fraude uulgari altius.
Huc ille uasti more torrentis iacens
Descendat Anguis, cuius immensos duæ
Maior, minorq; sentiunt nodos feræ
Maior Pelasgis, apta Sidonijs minor.
Pressasq; tandem soluat Ophiuchus manus,
Virusq; fundat: adsit ad cantus meos
Lacessere ausus gemina Python numina,
Et Hydra, & omnis redeat Herculea manu
Succisa serpens cæde se reparans sua.
Tu quoq; relictis peruigil Colchis ades
Sopite primum cantibus serpens meis.
Postquam euocauit omne serpentum genus,
Congerit in unum frugis infaustæ mala,
Quæcunq; generat inuius saxis Eryx,
* niue Quæ fert opertis * hyeme perpetua iugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei.
Pharetraq; pugnax Medus, aut Parthus leuis,
* qui Et * queis sagittas diuites Arabes linunt,
Aut quos sub axe frigido succos legunt
Lucis Sueui nobiles Hercynijs,
Quodcunq; tellus uere nidifico creat,
Aut rigida cum iam bruma discußit decus
Nemorum, & niuali cuncta constrinxit gelu.

Quodcunq;

Quodcunq; gramen flore mortifero uiret,
Dirusúe tortis succus in radicibus
Causas nocendi gignit, attrectat manu
Hæmonius illas contulit pestes Athos.
Has Pindus ingens, illa Pangæi iugis
Teneram cruenta falce deposuit comam.
Has aluit altum gurgitem Tigris premens,
Danubius illas: has per arentas plagas
Tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis.
Nomenq; terris qui dedit Bethys suis
Hesperia pulsans maria languenti uado.
Hæc passa ferrum est, dum parat Phœbus diem.
Illius alta nocte succisus frutex.
At huius ungue secta cantato seges
Mortifera carpit gramina, ac serpentium
Saniem exprimit, miscetq; & oscenas aues,
Mœstiq; cor bubonis, & raucæ strigis
Execta uiuæ uiscera: hæc scelerum artifex
Discreta ponit: hijs rapax uis ignium,
Hijs gelida pigri frigoris glacies inest.
Addit uenenis uerba non istis minus
Metuenda: sonuit ecce uesano gradu,
Canitq;: mundus uocibus primis tremit.

MEDEA

Tetrametri Trochaici Catalectici.

MEDEA.

Vos precor uulgus ſilentum, uoſq́; ferales deos,
Et chaos cæcũ, atq; opacã Ditis umbroſi domũ,
Tartari ripis ligatos ſqualidæ mortis ſpecus
Supplicijs animæ remiſsis currite ad thalamos nouos.
Rota reſiſtat membra torquens, tangat Ixion humum,
Tantalus ſecurus undas hauriat pyrenidas.
Grauiorq́; pœna ſedeat coniugis ſocero mei,
Lubricus per ſaxa retro Siſyphum voluat lapis.
Voſq́;, quas urnis foratis irritus ludit labor,
Danaides coite, ueſtras hic dies quærit manus.
Nunc meis uocata ſacris noctium ſydus ueni
Peſsimos induta uultus, fronte non una minax.
Tibi more gentis uinculo ſoluens comam,
Secreta nudo nemora luſtraui pede,
Et euocaui nubibus ſiccis aquas,
Egiq́; ad ima maria, & Oceanus graues
Interius undas æſtibus uictis dedit.
* hærens Pariterq́; mundus lege confuſa * ætheris
Et ſolem, & aſtra uidit, & uetitum mare
Tetigiſtis Vrſæ, temporum flexi uices
Aeſtiua tellus floruit cantu meo.
Meſſem coacta uidit hybernam Ceres:

Violenta Phaſis uertit in fontem uada:
Et Iſter in tot ora diuiſus truces
Compreſsit undas omnibus ripis piger.
Sonuere fluctus, tumuit inſanum mare
Tacente uento, nemoris antiqui domus
Amiſit umbram uocis imperio meæ.
Die relicto Phœbus in medio ſtetit.
Hyadesq́; noſtris cantibus motæ labant.
Adeſſe ſacris tempus eſt Phœbe tuis.
Tibi hæc cruenta ſerta texuntur manu,
Nouena quæ ſerpens ligat:
Tibi hæc Typhoeus, membra qui diſcors tulit,
Qui regna concuſsit Iouis.
Vectoris iſtic perfidi ſanguis ineſt,
Quem Neſſus expirans dedit.
Oetæus iſto cinere defecit rogus,
Qui uirus Herculeum bibit.
Piæ ſororis impiæ matris facem
Vltricis Altheæ uides.
Reliquit iſtas inuio plumas ſpecu
Harpyia, dum Zetum fugit.
Hijs adijce pinnas ſauciæ Stymphalidos
Lernæa paſſæ ſpicula.
Sonuiſtis aræ: Tripodas agnoſco meos
Fauente commotos dea.

Video Triuiæ currus agiles,
Non quos pleno lucida uultu
Pernox agitat, sed quos facie
Lurida mœsta, cum Thessalicis
Vexata minis cœlum freno
Propiore legit, sic face, tristem
Pallida lucem funde per auras.
Horrore nouo terræ populos.
Inq; auxilium Dictynna tuum
Pretiosa sonent æra Corinthi:
Tibi sanguineo cespite sacrum
Solenne damus, tibi de medio
Rapta sepulchro fax nocturnos
Sustulit ignes.
Tibi mota caput flexa uoces
Ceruice dedi, tibi funereo
De more iacens passos uincit
Vitta capillos.
Tibi iactatur tristis Stygia
Ramus ab unda, tibi nudato
Pectore Mænas, sacro feriam
Brachia cultro, manet noster
Sanguis ad aras: assuesce manus
Stringere ferrum carosq; pati
Posse cruores

Sacrum

Sacrum laticem percussa dedit:
Quod si nimium sæpe uocari
Quereris, uotis ignosce, precor.
Causa uocandi Persei tuos
Sæpius arcus, una, atq; eadem est
Semper Iason.
Tu nunc uestes tingue Creusæ,
Quas cum primum sumpserit, imas
Vrat serpens flamma medullas.
Ignis fuluo clausus in auro
Latet obscurus, quem mihi, cœli
Qui furta luit uiscere fœto,
Dedit, & docuit condere uires.
Artem Prometheus dedit, ac tenuit
Sulfure tectos Mulciber ignes:
Et uiuacis fulgura flammæ
De cognato Phaëtonte tuli.
Habeo mediæ dona Chimæræ.
Habeo flammas usto Tauri
*Gutture * raptas, quas permisto*
Felle Medusæ, tacitum iussi *ruptas
Seruare malum: adde uenenis
Stimulos Hecate, donisq; meis
Semina flammæ condita serua.
Fallant uisus, tactusq; ferant,

Meet in pectus, uenasq; calor:
Stillent artus, ossaq; fument,
Vincatq; suas flagrante coma
Noua nupta faces.
Vota tenentur, ter latratus
Audax Hecate dedit, & sacros
Edidit ignes face luctifera.
Peracta uis est omnis, huc natos uoca,
Pretiosa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite nati matris infaustæ genus,
Placate uobis munere, & multa prece,
Dominam & nouercam: uadite, & celeres domum
Referte gressus, ultimo amplexu ut fruar.

CHORVS.

Dimetri Iambici Catalectici.

QVonam cruenta Mænas
Præceps amore sæuo
Rapitur? quod impotenti
Facinus parat furore?
Vultus citatus ira
Riget, & caput feroci
Quatiens superba motu
Regi minatur ultro,
Quis credat exulantem?

Flagrant genæ rubentes,
Pallor fugat ruborem.
Nullum uagante forma
Seruat diu colorem.
Huc fert pedes, & illuc
Vt tigris orba natis,
Cursu furente lustrat
Gangeticum nemus: sic
Frenare nescit iras
Medea non amores.
Nunc ira, amorq́; causam
Iunxere: quid sequetur?
Quando efferet Pelasgis
Nefanda Colchis aruis
Gressum? metuq́; soluet
Regnum, simulq́; reges?
Nunc Phœbe mitte currus
Nullo morante loro,
Nox condat alma lucem.
Mergat diem timendum
Dux noctis hesperus.

ACTVS QVINTVS.

In carmine ultimo huius tragœdię, quod scribitur metro archiloico, ponitur actus

quintus, & est occisio filiorum Iasonis & Medeæ, primoq́; inducitur chorus infelicẽ mortem Creusæ & patris eius narrans, secundo in mortem filiorũ suorum modum machinans Medea: ibi. Ego ne. Prima pars habet duas, quia primo nũciatur mors ista, secundo Nutrix Medeam ut fugiat exhortatur: ibi. Effer citatum. Prima pars habet nouem sermones, quorum primus est Nuntij annuntiantis mortem Creusæ & Creontis dicentis: Periere cuncta. Et deinceps sequuntur ordine reliqui sermones, sicut uides in autore.

Trimetri Iambici.

NVNTIVS. CHORVS. NVTRIX. MEDEA. IASON.

P*Eriere cuncta, concidit regni status.*
Nata, atq; genitor cinere permisto iacent.
CH. *Qua fraude capti?* NV. *Qua solẽt reges capi)*
Donis. CHO. *In illis esse quis potuit dolus?*
NVN. *Et ipse miror, uixq; iam facto malo*
Potuisse fieri credo. CHO. *Quis cladis modus?*
NVN. *Auidus per omnem regiæ partem furit*

** Vt iussus*

*Vt iussus, ignis: iam domus tota *occidit, — * Emissus * cecidit
Vrbi timetur. CHO. Vnda flammas opprimat.
NVN. Et hoc in ista clade mirandum accidit,
Alit unda flammas, quoq́; prohibetur magis,
Magis ardet ignis, ipsa præsidia occupat.
NVT. Effer citatum sede Pelopeia gradum
Medea præceps, quaslibet *terras pete. — *sedes
ME. Egóne ut recedam? si profugissem prius,
Ad hoc redirem, nuptias specto nouas:
Quid anime cessas? sequere felicem impetum,
Pars ultionis ista, qua gaudes, quota est?
Amas adhuc furiosa? sic satis est tibi
Cœlebs Iason? quære pœnarum genus
Haud usitatum: iamq́; sic temet para.
Fas omne cedat, abeat expulsus pudor.
Vindicta leuis est, quam ferunt paruæ manus:
Incumbe in iras, teq́; languentem excita.
Penitusq́; ueteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri: quicquid admissum est adhuc,
Pietas uocetur, hoc age, & faxo, sciant,
Quàm leuia fuerint, quamq́; uulgaris notæ,
Quæ commodaui scelera: prælusit dolor
Per ista noster: quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?
Medea nunc sum: creuit ingenium malis.

Iuuat, iuuat rapuisse fraternum caput,
Artus iuuat secuisse, & arcano patrem
Spoliasse sacro, iuuat in exitium senis
Armasse natas: * quære materiam dolor. * quærit
Ad omne facinus non rudem dextram afferes,
Quò te igitur ira mittis? aut quæ perfido
Intendis hosti tela? nescio quid ferox
Decreuit animus intus, & nondum sibi
Audet fateri, stulta properaui nimis.
Ex pellice utinam liberos hostis meus
Aliquot haberet: quicquid ex illo tuum est,
Creusa peperit: placuit hoc pœnæ genus,
Meritoq; placuit: ultimum magno scelus
Animo parandum est: Liberi quondam mei
Vos pro paternis sceleribus pœnas date.
Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu.
Pectusq; tremuit, ira discessit loco,
Materq; tota coniuge expulsa redit,
Egó ne ut meorum liberum, ac prolis meæ
Fundam cruorem? melius ah demens furor
Incognitum istud facinus, ac dirum nefas
A me quoq; absit, quod scelus miseri luent?
Scelus est Iason genitor, & maius scelus
Medea mater, occidant, non sunt mei.
Pereant, mei sunt: crimine & culpa carent.

Sunt innocentes, ſateor, & frater fuit,
Quid anime titubas? ora quid lachrymæ rigant?
Variamq́; nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit? anceps æſtus incertam rapit,
Vt ſæua rapidi bella cum uenti gerunt,
Vtrinq; fluctus maria diſcordes agunt,
Dubiumq́; pelagus feruet: haud aliter meum
Cor fluctuatur: ira pietatem fugat,
Iramq́; pietas: cede pietati dolor.
Huc [illegible]ra proles, unicum afflictæ domus
Solamen: huc uo[illegible]ferte, & infuſos mihi
Coniungite artus: habeat incolumes pater,
Dum & mater habeat: urget exilium, ac fuga.
Iam iam meo rapientur euulſi ſinu.
Flentes, gementes: ſed oculis pereant patris,
Periere matris: rurſus increſcit dolor,
Et feruet odium: repetit inuiſam manum
Antiqua mentis ira, quà ducis ſequor.
Vtinam ſuperbe turba Tantalidos meo
Exiſſet utero, bisq́; ſeptenos parens
Natos tuliſſem: ſterilis in pœnas fui,
Fratri, patriq́;, quod ſat eſt, peperi duos.
Quonam iſta tendit turba furiarum impotens?
Quem quærit? aut quò flammeos ictus parat?
Aut cui cruentes agmen infernum faces

Intentat: ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello: quem trabe infesta petit
Megæra: cuius umbra dispersis uenit
Incerta membris? frater est, pœnas petit,
Dabimus, sed omnes fige luminibus faces:
Lania, perure, pectus en furijs patet,
Discedere à me frater ultrices deas,
Manesq́; ad imos ire securas iube,
Mihi me relinque, & utere hac frater manu,
Quæ strinxit ensem, uictima manes tuos
Placamus ista: quid repens affert sonus?
Parantur arma, meq́; in exitium petunt.
Excelsa nostræ tecta conscendam domus
Cæde inchoata: perge tu mecum comes,
Tuum quoq; ipse corpus hinc mecum auehe:
Nunc hoc age anime: non in occulto tibi est
Perdenda uirtus, approba populo manum.
IA. Quicunq; regum es cladibus fidus dolens,
Concurre, ut ipsam sceleris autorem horridi
Capiamus: huc huc fortis armigeri cohors
Conferte tela, uertite ex imo domum.
ME. Iam iam recepi sceptra, germanum, patrem,
Spoliumq́; Colchi pecudis auratæ tenent.
Rediere regna, rapta uirginitas redit.
O placida tandem numina, ô festum diem,

O nuptialem, uade, perfectum est scelus,
Vindicta nondum, perage, dum faciunt manus.
Quid nunc moraris anime? quid dubitas? potens
Iam cecidit ira: pœnitet, facti pudet.
Quid misera feci? misera pœniteat licet,
Feci: uoluptas magna me inuitam subit.
Et ecce crescit, deerat hoc unum mihi
Spectator ipse: nil adhuc factum reor.
Quicquid sine isto fecimus sceleris, perit.
IA. En ipsa tecti parte præcipiti imminet,
Huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
Suis perusta. ME. Congere extremum tuis
Natis Iason funus, ac tumulum strue.
Coniunx, socerq; iusta iam functis * habent — * hærent
A me sepulti: natus hic fatum tulit,
Hic te uidente dabitur exitio pari.
IA. Per numen omne, perq; communes fugas,
Torosq;, quos non nostra uiolauit fides,
Iam parce nato: si quod est crimen, meum est:
Me dede morti, noxium macta caput.
ME. Hac qua recusas, qua doles, ferrum exigam.
I, nunc superbe uirginum thalamos pete.
Relinque matres. IA. Vnus est pœnæ satis.
ME. Si posset una c ede satiari manus,
Nullam petisset: ut duos perimam tamen,

Nimium

Nimium eſt, dolori numerus anguſtus meo,
In matre, ſi quod pignus etiamnum latet,
Scrutabor enſe uiſcera, & ferro extraham.
IA. *Iam perage cœptum facinus, haud ultra precor,*
Moramq́; ſaltem ſupplicijs dona meis.
ME. *Perfruere lento ſcelere, ne propera dolor.*
Meus dies eſt: tempore accepto utimur.
IA. *Infeſta memet perime.* ME. *Miſereri iubes.*
Bene eſt, peractum eſt, plura non habui dolor
Quæ tibi litarem: lumina huc tumida alleua
Ingrate Iaſon, coniugem agnoſcis tuam?
Sic fugere ſoleo, patuit in cœlum uia.
Squamoſa gemini colla ſerpentes iugo
Summiſſa præbent, recipe iam natos parens.
Ego inter auras aliti curru uehar.
IA. *Per alta uadit ſpatia ſublimi ætheris,*
Teſtare nullos eſſe, qua ueheris deos.

TRAGOEDIAE INTERLOCVTORES.

Thyeſtes.	*Chorus Græcorum.*
Chorus.	*Euribates.*
Clytæmneſtra.	*Caſſandra.*
Nutrix.	*Agamemnon.*
Aegiſthus.	*Electra.*

Strophilus.

TRAGOE



TRAGOEDIA OCTAVA, QVAE INSCRIBITVR AGAMEMNON.

ACTVS PRIMVS.

Cõtinet autem hæc tragœdia actus quinque, quorum primus est planctus Thiestis emissi de inferno super sceleribus domus Pelopeæ, de qua fuerunt tam ipse quã Agamemnon. Et primo inducitur Thiestes tanquam emissus de inferno, domum Pelopeiam, de qua fuit Agamemnon, propter scelera detestans, secundo inducit chorus magnorum regum infortunatos euentus deplorans carmine secundo, ibi: Regnorum.

Trimetri Iambici.

THYESTES.



Paca linquens Ditis inferni loca
Adsum profundo tartari emissus specu
Incertus utras oderim sedes magis,
Fugio Thyestes inferos, superos fugo.
En horret animus, & pauor membra excutit
Video paternos, imò fraternos lares:

Hos

Hoc est uetustum Pelopeæ limen domus,
Hinc auspicari regium capiti decus
Mos est Pelasgis: hoc sedent alti toro,
Quibus superba sceptra gestantur manu.
Locus hic habendæ curiæ, hic epulis locus.
Libet reuerti, nónne uel tristes lacus
Incolere satius? nónne custodem Stygis
Trigemina nigris colla iactantem iubis?
Vbi ille celeri corpus euinctus rota
In se refertur: ubi per aduersum irritus
Redeunte toties luditur saxo labor:
Vbi tondit ales auida fœcundum iec...,
*exhaustus Et inter undas feruida * exustus siti
Aquas fugaces ore decepto appetit
Pœnas daturus cœlitum dapibus graues.
Sed ille nostræ pars quota est culpæ senex?
Reputemus omnes, quos ob infandas manus
Quæsitor urna Cnosius uersat reos.
Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis.
A fratre uincar: liberis plenus tribus
In me sepultis: uiscera exedi mea.
Nec hactenus fortuna maculauit patrem.
Sed maius aliud ausa commisso scelus.
Natæ nefandos petere concubitus iubet.
Non pauidus hausi dicta, sed cœpi nefas.

Ergo ut per omnes liberos irem parens,
Coacta fatis nata fert uterum grauem,
Me patre dignum, uersa natura est retro,
Auo * parentem, prò nefas, patri uirum, * nepotem
Natis nepotes miscui, nocti diem.
Sed sera tandem respicit fessos malis
Post fata demum sortis incestæ fides.
Rex ille regum ductor Agamemnon ducum,
Cuius secutæ mille uexillum rates,
Iliaca uelis maria texerunt suis,
Post [illegible]a Phœbi lustra deuicto Ilio
Adest daturus co[illegible]gi iugulum suæ,
Iam iam natabit sanguine alterno domus.
Enses, secures, tela, diuisum graui
Ictu bipennis regium uideo caput.
Iam scelera propè sunt, iam dolus, cædes, cruor.
Parantur epulæ, causa natalis tui
Aegysthe uenit, quid pudor uultus grauat?
Quid dextra dubio trepida consilio labat?
Quid ipse temet consulis? torques? rogas?
An deceat hoc te respice, at matrem decet.
Sed cur repente noctis æstiuæ uices
Hyberna longa spatia producunt mora?
Aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phœbum moramur, redde iam mundo diem.

CHORVS

CHORVS.

Dimetri Anapæstici.

O Regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioq; nimis excelsa locas.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumue sui tenuere diem.
Alia ex alijs cura fatigat,
Vexatq; animos noua tempestas.
Non sic libycis syrtibus æquor
Furit alternos uoluere fluctus,
Non Euxini turget ab imis
Commota uadis unda, niuali
Vicina polo: ubi cœruleis
Immunis aquis, lucida uersat
Plaustra Bootes.
Vt præcipites regum casus
Fortuna rotat: metui cupiunt,
Metuiq; timent: non nox illis
Alma recessus præbet tutos:
Non curarum somnus domitor
Pectora soluit.
Quas non arces scelus alternum
Dedit in præceps? impia quas non

Arma

Arma fatigant iura, pudorq;,
Et coniug i sacrata fides
Fugiunt aulas: sequitur tristis
Sanguinolenta Bellona manu,
Quæq; superbos urit Erinnys,
Tumidas semper comitata domos.
Quas in planum quælibet hora
Tulit ex alto, licet arma uacent,
Cessentq; doli, sidunt ipso
Pondere magna, ceditq; oner
Fortuna suo.
Vela secundis inflata * notis
Ventos nimium timuere suos,
Nubibus ipsis inserta caput
Turris pluuio uapulat Austro
Densasq; nemus spargens umbras
Annosa uidet robora frangi,
Feriunt celsos fulmina colles,
Corpora morbis maiora patent.
Et cum in pastus armenta uagos
Vilia currunt, placet in uulnus
Maxima ceruix: quicquid in altum
Fortuna tulit ruitura leuat.
Modicis rebus longius æuum est.
Felix, mediæ quisquis turbæ

* uentis

185

Parte quietus, aura stringit
Littora tuta, timidusq; mari
Credere cymbam, remo terras
Propiore legit.

ACTVS SECVNDVS.

Secũdus actus huius tragœdiæ est deliberatio Clytemnæstræ in mortẽ Agamẽnonis cum Nutrice: Diuidit aũt hic locus in duas partes, quia primo inducit Clytemnęstra propositum suum indicãs, & Nutrix dissuadens, secundo Aegisthus Clytemnæstram in mortem Agamemnonis concitans, & Clytemnęstra Aegisthum tandem ad suum consilium admittens, ibi: Quod tẽpus. Prima pars in modum dialogi continet sermones decem & octo, primo ergo inducitur Clytemnæstræ sermo, quæ primo secum loquens concitat animum suum ad scelus perpetrandum, dicens: O segnis anime.

Trimetri Archilochij.

CLYTEMNAESRA. NVTRIX.

Quid segnis anime tuta consilia expetis?
Quid fluctuaris? clausa iam melior uia est.
Licuit pudicos coniugis quondam toros,

Et sceptra casta iuncta tutari fide.
Periere mores, ius, decus, pietas, fides
Et qui redire, cum perit, nescit pudor.
Da frena, & omnem prona nequitiam incita.
Per scelera semper sceleribus tutum est iter.
Tecum ipsa nunc euolue fœmineos dolos.
Quod ulla coniunx perfida, atq; impos sui
Amore cæco, quod nouercales manus
Ausæ, quod ardens impia uirgo face,
Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe.
Ferrum, uenena, uel Mycenæa domo
Coniuncta socio: profuge furtiua rate.
Quid timida loqueris? furta, & exilium, & fugas
Sors ista fecit, te decet maius nefas.
NVT. Regina Danaum, & inclytum Ledæ genus,
Quid tacita uersas? quidue consilij impotens
Tumido feroces impetus animo geris?
Licet ipsa sileas, totus in uultu est dolor.
Proin quid est? da tempus ac spatium tibi.
Quod ratio nequijt, sæpe sanauit mora.
CLY. Maiora cruciant, quàm ut moras possim pati.
Flammæ medullas, & cor exurunt meum,
Mistus dolori subdidit stimulos timor.
Inuidia pulsat pectus, hinc animum iugo
Premit Cupido turpis, & uinci uetat.

186

* obesæ Et inter istas mentis * obsessæ faces,
Fessus quidem, & deiectus, & pessundatus
Pudor rebellat, fluctibus uarijs agor.
Vt cum hinc profundum uentus, hinc æstus rapit,
Incerta dubitat unda, cui cedat malo.
Proinde omisi regimen è manibus meis:
Quocunq; me ira, quò dolor, quò spes feret,
* dedam Huc ire pergam, fluctibus * dedi ratem.
Vbi animus errat, optimum est casum sequi.
NV. Cæca est temeritas, quæ petit casum ducem.
CLY. Cui ultima est fortuna, quid dubium timet?
NV. Tuta est, latetq; culpa, si pateris, tua.
CLY. Perlucet omne regiæ uitium domus.
NV. Piget prioris, & nouum crimen struis.
CLY. Res est profecto stulta, nequitiæ modus.
* metuit NV. Quod * meruit, auget, qui scelus scelere * obstruit.
* obruit CLY. Et ferrum, & ignis sæpe medicinæ loco est.
NV. Extrema primo nemo tentauit loco.
CLY. Capienda rebus in malis præceps uia est.
NV. At te reflectat coniugij nomen sacrum.
CLY. Decem per annos uidua respiciam uirum?
NV. Meminisse debes sobolis ex illo tuæ.
CLY. Equidem & iugales filiæ memini faces,
Et generum Achillem, præstitit matri fidem.
NV. Redemit illa classis immotæ moras,

Et maria

Et maria pigro fixa langore impulit.
CLY. Pudet, pigetq; Tyndaris cœli genus,
Lustrale claßi Doricæ peperit caput.
Reuoluit animus uirginis thalamos meæ,
Quos ille dignos Pelopea fecit domo,
Cum stetit ad aras ore sacrifico pater
Quasi nuptiales, horruit Calchas suæ
Responsa uocis, & recedentes focos.
O scelera semper sceleribus uincens domus,
Cruo[illegible]uentos eminus, bellum, nece.
NV. Sed uela p[illegible]er mille fecerunt rates.
CLY. Non est soluta prospero claßis deo.
Eiecit Aulis impias portu rates.
Sic auspicatus bella, non melius gerit.
Amore captæ captus, immotus prece
Smynthea tenuit spolia Phœbei ducis,
Ardore sacræ uirginis * iam tum furens. * tantum
Non illum Achilles flexit indomitis minis.
Non ille, solus fata qui mundi uidet,
In nos fidelis augur, in captas leuis:
Non populus æger, & relucentes rogi,
Inter ruentis Græciæ stragem ultimam
Sine hoste uictus marcet, ac Veneri uacat.
Reparatq; amores: neue desertus foret
A pellice unquam, uel suus cœlebs torus,

Ablatam Achilli diligit Briseida.
Nec rapere puduit è sinu uulsam uiri.
Hem Paridis hostem, nunc nouum uulnus gerens
Amore Phrygiæ Vatis incensus furit:
Et post trophæa troica, ac uersum Ilium,
Captæ maritus remeat, & Priami gener.
Accingere anime, bella non leuia apparas:
Scelus occupandum est, pigra quem expectas diem?
Pelopea Phrygiæ sceptra dum teneant nurus?
An te morantur uigines uiduæ domi,
Patriq; Orestes similis? horum te mala
Ventura moueant, turbo queis rerum imminet.
Quid misera cessas? en adest natis tuis
Furens nouerca: per tuum, si aliud nequid,
Latus exigatur ensis, & perimat duos.
Misce cruorem, perde pereundo uirum.
Mors misera non est, commori cum quo uelis.
NV. Regina frena temet, & siste impetus,
Et, quanta tentas, cogita, uictor uenit
Asiæ ferocis, ultor Europæ trahit
Captiua pergama, & diu uictos Phrygas.
Hunc fraude nunc conaris insana aggredi,
Quem non Achilles ense uiolauit fero,
Quamuis procacem toruus armasset manum.
Non melior Aiax morte decreta furens,

Non

Non sola Danais Hector, & bello mora:
Non tela Paridis certa, non Memnon niger:
Non Xanthus armis corpora immistis gerens,
Fluctusq; Simois cæde purpureos agens:
Non niuea proles Cycnus æquorei dei:
Non bellicoso Thressa cum Rheso phalanx:
Non picta pharetras, & securigera manu
Peltata Amazon: hunc domi reducem paras
Mactare, & aras cæde maculare impia?
Vltrix inultum Græcia hoc facinus feret?
Equos, & arma, classibusq; horrens fretum
* Præpone, & alto sanguine exundans solum. * Propone
Et tota captæ fata Dardaniæ domus
Regesta Danais: comprime affectus truces,
Mentemq; tibimet ipsa pacifica tuam.

AEGISTHVS. CLYTEMNAEST.

Trimetri Iambici.

QVod tempus animo semper, ac mente horrui
Adest profecto rebus extremum meis,
Quid terga uertis anime? quid primo impetu
Deponis arma? crede perniciem tibi,
Et dira sæuos fata moliri deos.
Oppone * cunctis uile supplicijs caput, * meritis
Ferrumq; & ignes pectore aduerso excipe.

188

CLY. Aegisthe non est pœna sic nato mori.
AEG. Tu nos pericli socia, tu Leda sata
Comitare: tantum sanguinem reddet tibi
Ignauus iste ductor, ac fortis pater.
Sed quid trementes circuit pallor genas?
Iacensq; uultu languido obtutus stupet?
CLY. Amor iugalis uincit, ac flectit retro,
Remeemus illuc, unde non decuit prius
Abire: sed nunc casta repetatur fides:
Nam sera nunquam est, ad bonos mores uia.
Quem pœnitet peccasse, pœnæ est innocens.
AE. Quò raperis amens, credis, aut speras tibi
Agamemnonis fidele coniugium? ut nihil
Subesset animo, quod graues faceret metus,
Tamen superba, & impotens statu nimis
Fortuna magno spiritus tumidos daret.
Grauis ille socijs stante adhuc Troia fuit.
Quid rere ad animum suapte natura trucem
Troiam addidisse: rex Mycenarum fuit,
Veniet tyrannus: prospera animos efferunt.
Effusa circa pellicum quanto uenit
Turba apparatu? sola sed longe eminet,
Tenetq; regem famula ueridici dei,
Ferés ne thalami uicta consortem tui?
At illa nolet, ultimum est nuptæ malum:

Palàm

Palàm mariti poßidens pellex domum.
Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.
CLY. Aegisthe quid me rursus in præceps rapis?
Iramq; flammis iam residentem * excitas? *incitas
Permisit aliquid uictor in captam sibi,
Nec coniugem hoc respicere, nec dominam decet.
Lex alia solio est, alia priuato toro,
Quid, quod seueras ferre me leges uiro
Non patitur animus turpis admißi memor?
Det ille ueniam facile, cui uenia est opus.
AEG. [illegible] ita est, pacisci mutuam ueniam licet.
Ignota tibi sunt [illegible] regnorum haud noua.
Nobis maligni iudices, æqui sibi.
Id esse regni maximum pignus putant,
Si quicquid alijs non licet, solis licet.
CLY. Ignouit Helenæ, iuncta Menelao redit,
Quæ Europam, & Asiam, paribus afflixit malis.
AEG. Sed nulla Atridem Venere furtiua abstulit,
Nec cepit animum coniugi obstrictum suæ.
Iam crimen ille quærit, & causas parat.
Nil esse crede turpe commissum tibi.
Quid honesta prodest uita flagitio carens,
Vbi dominus odit? fit nocens, non quæritur,
Spartén ne repetes spreta, & à tanto uiro,
Patriasq; sedes profuga? non dant exitum

Repudia regum: spe metum falsa leuas.
CLY. *Delicta nouit nemo, nisi fidus, mea.*
AEG. *Non intrat unquam regium limen fides.*
CLY. *Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.*
AEG. *Pretio parata, uincitur pretio fides.*
CLY. *Surgit residuus pristinæ mentis pudor,*
Quid obstrepis? quid uoce blandiloqua mala
Consilia dictas? scilicet nubet tibi
Regum relicto rege generosa exuli?
AEG. *Et cur atrida uideor inferior tibi*
Natus Thyestę? CLY. *Si parum est, adde & nepos.*
AEG. *Autore Phœbo gignor, haud generis pudet.*
CLY. *Phœbum nefandæ stirpis autorem uocas?*
Quem nocte subita frena reuocantem sua
Cœlo expulistis? quid deos probro aduocas
Surripere doctus fraude genitales toros?
Quem Venere tantum scimus illicita uirum.
Secede propere, dedecus claræ domus
Asporta ab oculis: hæc uacat regi ac uiro.
AEG. *Exilia mihi sunt haud noua, assueui malis.*
Si tu imperas regina, non tantum domo
Argisue cedo: nil moror iussu tuo
Aperire ferro pectus ærumnis graue.
CLY. *Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam?*
Quæ inuita peccat, debet & culpæ fidem.

Secede

Secede mecum potius, ut rerum statum
Dubium, ac minacem iuncta consilia explicent.

CHORVS.

Anapæstici.

CAnite ô pubes inclyta Phœbum.
Tibi festa caput turba coronat:
Tibi uirgineas laurum quatiens
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia: tu quoq; nostros
Thebana manus * comitare choros: * comitata
Quæq; Erasini gelidos fontes,
Quæq; Eurotam, quæq; uirenti
Tacitum ripa bibis Ismenon,
Quam fatorum præscia Manto
Sata Tiresia Latonigenas
Monuit sacris celebrare deos.
Arcus uictor pace relata
Phœbe relaxa, humeroq; graues
Leuibus telis pone pharetras,
Resonetq; manu pulsa citata
Vocale chelys: nil acre uelim,
Magnumq; modis intonet altis
Sed quale soles leuiore lyra
Flectere carmen simplex, lusus

Cum

Cum docta tuos musa recenset.
Licet & chorda grauiore sones,
Quale * canebas, cum Titanas
Fulmine misso fregere dei.
Vel cum montes montibus altis
Superimpositi struxere gradus
Trucibus monstris: stetit imposita
Pelion Ossa: pinifer ambos
Pressit Olympus: ades ô magni
Soror, & coniunx, consors sceptri
Regia Iuno: tua te colimus
Turba Mycenæ: tu sollicitum
Supplexq; tui numinis Argos
Sola tueris: tu bella manu
Pacemq; regis: tu nunc lauros
Agamemnonios accipe uictrix.
Tibi multifora tibia buxo
Solenne canit: tibi fila mouent
Docta puellæ carmine mollit:
Tibi uotiuam matres graiæ
Lampada iactant: ad tua coniunx
Candida tauri delubra cadit
Nescia aratri, nullo collum
Signata iugo: tuq; ô magni
Nata tonantis inclyta Pallas,

* sonabas

Quæ

Quæ Dardanias ſæpe petiſti
Cuſpide turres: te permiſſo
Matrona minor, maiorq́; choro
Colit, & reſerat ueniente dea
Templa ſacerdos: tibi nexilibus
Turba coronis redimita uenit.
Tibi grandæui laſſiq́; ſenes
Compote uoto reddunt grates,
Libantq́; manu uina trementi.
Et te Triuia grata memores
Voce precamur: tu maternam
Siſtere Delon Latona iubes,
Huc atq; illuc prius errantem
Cyclada uentis, nunc iam ſtabilis
Fixa terras radice tenet.
Reſpuit auras, religatq́; rates
Aſſueta ſequi: tu Tantalidos
Funera matris uictrix numeras.
Stat nunc Sypili uertice ſummo
Flebile ſaxum, & adhuc lachrymas
Marmora fundunt antiqua nouas.
Colit impenſe fœmina, uirq́;
Numen geminum, tuq́; ante omnes
Pater, ac rector fulmine pollens,
Cuius nutu ſimul extremi

Tremuere poli, generis nostri
Iuppiter autor cape dona libens,
Abauusq; tuam non degenerem
Respice prolem.
Sed ecce uasto concitus miles gradu
Manifesta properat signa lætitiæ gerens.
Nanq; hasta summo lauream ferro gerit.
Fidusq; regi semper Eurybates adest.

ACTVS TERTIVS.

Tertius actus huius tragœdiæ est narratio de reditu Agamẽnonis & Græcorũ & scribit metro archiloico, continet aũt hæc pars decẽ sermones in modũ dialogi inter Eurybatẽ & Clytemnestrã: in quorũ primo inducitur Eurybates miles Agamemnonis nuntians eius reditum ad propria, unde exhortando Micenas quorum rex erat Agamemnon dicit: Adoro.

Trimetri Iambici.

EVRYBATES. CLYTEMNAESTRA.

DElubra, & aras cælitum, & patrios lares
Post longa fessus spatia uix credens mihi
supplex

Supplex adoro, uota superis soluite.
Telluris altum remeat Argolicæ decus,
Tandem ad penates uictor Agamemnon suos.
CLY. Felix ad aures nuntius uenit meas,
Vbinam petitus per decem coniunx mihi
Annos moratur? pelagus, an terras premit?
EV. Incolumis, auctus gloria, laude inclytus
Reducem expetito littori impreßit pedem.
CLY. Sacris colamus prosperum tandem diem.
Et si propitios, attamen lentos, deos.
Tu pande, uiua coniugis frater mei,
Et pande, teneat quas soror sedes mea.
EV. Meliora uotis posco, & obtestor deos:
Nam certa fari sors maris dubij uetat.
Vt sparsa tumidum claßis excepit mare,
Ratis uidere socia non potuit ratem.
Quin ipse Atrides æquore immenso uagus
Grauiora pelago damna, quàm bello tulit,
Remeatq; uicto similis, exiguas trahens
Lacerasq; uictor classe de tanta rates.
CLY. Quis, fare, nostras hauserit casus rates.
Aut quæ maris fortuna dispulerit duces.
EV. Acerba fatu poscis: infaustum iubes
Miscere leto nuntium, refugit loqui
Mens ægra, tantis atq; inhorrescit malis.

CLY. Expro-

192

CLY. Exprome: clades scire qui refugit suas,
Grauat timorem, dubia plus torquent mala.
EV. Vt pergamum omne Dorica cecidit face,
Diuisa præda est, maria properantes petunt,
Iamq; ense fessum miles exonerat latus.
Neglecta summas scuta per puppes iacent.
Ad militares remus aptatur manus,
Omnisq; nimium longa properanti mora est.
Signum recursus regia ut fulsit rate,
Et clara lentum regimen emonuit tuba,
Aurata primas prora signauit uias,
Aperitq; cursus, mille quos puppes secent.
Hinc aura primo lenis impellit rates
Allapsa uelis, unda uix tactu leuis
Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit.
Splendetq; classe pelagus, & pariter latet.
Iuuat uidere nuda Troiæ litora,
Iuuat relicti sola Sigei loca.
Properat iuuentus omnis adductos simul
Lentare remos: adiuuat uentos manu,
Et ualida nixu brachia alterno mouet:
Sulcata uibrant æquora, & latera increpant,
Dirimuntq; cane cœrulum spumæ mare.
Vt aura plenos fortior tendit sinus,
Posuere tonsas: credita est uento ratis,

Fususq;

Fususq́; transtris nauita, aut terras procul,
Quantum recedunt uela fugientes notat,
Aut bella narrat: Hectoris fortis minas,
Currusq́;, & empto redditum corpus rogo.
Sparsum cruore regis * Herceum Iouem. *Herculeũ
Tum qui iacente recipocrus ludit salo,
Tumidumq́; pando transilit dorso mare,
Tyrrhenus omnis piscis exultat freto,
Agitq́; gyros, & comes lateri annatat
Anteire naues lætus, & rursus sequi.
Nunc prima tangens rostra lasciuit Chorus,
Millesimam nunc ambit, & lustrat ratem.
Iam littus omne tegitur, & campi latent,
Et dubia * parent montis Idæi iuga. *patent
Etiam, quod unum peruicax acies uidet,
Iliacus atra fumus apparet nota.
Iam lassa Titan colla releuabat iugo,
In astra iam lux prona, iam præceps dies,
Exigua nubes sordido crescens globo
Nitidum cadentis inquinat Phœbi iubar,
Suspecta uarius occidens fecit freta.
Nox prima cœlum sparserat stellis: iacent
Deserta uento uela: tum murmur graue
Maiora minitans collibus summis cadit:
Tractuq́; longo littus, ac petræ gemunt,

Agitata uentis unda uenturis tumet.
Cum luna ſubito conditur, ſtellæ cadunt,
In aſtra pontus tollitur, & cœlum perit.
Nec una nox eſt, denſa tenebras obruit
Caligo, & omni luce ſubducta fretum
Cœlumq́; miſcet, undiq; incumbunt ſimul,
Rapiuntq́; pelagus infimo euerſum ſolo,
Aduerſus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus.
Sua quiq; mittunt tela, & infeſti fretum
Emoliuntur, turbo conuoluit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet niues,
Libycusq́; arenas Auſter, ac Syrtes agit,
Nec manet in Auſtro, fit grauis nimbis Notus,
Imbre auget undas, Eurus orientem mouet
Nabathæa quatiens regna, & Eoos ſinus.
Quid rapidus ora Corus oceano exerens?
Mundum reuelli ſedibus totum ſuis.
Ipſosq́; rupto crederes cœlo deos
Decidere, & atrum rebus induci chaos.
Vento reſiſtit æſtus, & uentus retro
Aeſtum reuoluit, non capit ſeſe mare,
Vndasq́; miſcent imber & fluctus ſuas.
Nec hoc leuamen deniq; ærumnis datum eſt,
Videre ſaltem, & noſſe, quo pereant malo.
Præmunt tenebræ lumina, & diræ Stygis

Inferna

Inferna nox est: excidunt ignes tamen
Et nube dirum fulmen elisa micat.
Miserisq; lucis tanta dulcedo est malæ.
Hoc lumen optant, ipsa se classis premit,
Et prora proræ nocuit, & lateri latus.
Illam dehiscens pontus in præceps rapit,
Hauritq;, & alto redditam reuomit mare.
Hæc onere sidit, illa conuulsum latus
Summittit undis: fluctus hanc decimus tegit,
Hæc [illegible]ra, & omni decore populato leuis
Fluitat, nec illi ue[illegible] nec tonsæ manent.
Nec rectus altas malus antemnas ferens.
Sed fracta toto puppis Ionio natat.
Nil ratio, & usus audet in magnis malis.
Tenet horror artus, omnis officio stupet
Nauita relicto: remus effugit manus.
In uota miseros ultimus cogit timor.
Eademq; superos Troës, & Danai rogant.
Quid fata possunt? inuidet Pyrrhus patri,
Aiaci Vlysses, Hectori Atrides minor,
Priamo Agamemnon: quisquis ad Troiam iacet,
Felix uocatur: cadere qui meruit manu,
Quem fama seruat, uicta quem tellus tegit.
Nil nobile ausos pontus, atq; undæ ferent.
Ignaua fortes * fata consument uiros: * freta

Pudenda mors est: quisquis es nondum malis
Satiate tantis cœlitum, tandem tuum
Numen serena: cladibus nostris daret
Vel Troia lachrymas: odia si durant tua,
Placetq; mitti Doricum exitio genus,
Quid hos simul perire nobiscum iuuat,
Quibus perimus? sistite infestum mare.
Vehit ista Danaos classis, & Troas simul.
Nec plura possunt, occupat uocem mare.
Ecce alia clades, fulmine irati Iouis
Armata Pallas, quicquid aut hasta [illegible]ax,
Aut ægidæ, aut furore gorgoneo potest,
Aut igne patrio, tentat, & cœlo nouæ
Spirant procellæ: solus inuictus malis
Luctatur Aiax, uela cogentem hunc sua
Tenso rudente flamma perstrinxit cadens.
Libratur aliud fulmen: hoc toto impetu
Certum reducta Pallas excussit manu,
Imitata patrem, transit Aiacem, & ratem,
Ratisq; partem secum & Aiacis tulit.
Nil ille motus, ardua ut cautes salo
Ambustus extat, dirimit insanum mare,
Fluctusq; rumpit pectore, & nauem manu
Complexus in se traxit, & cæco mari
Collucet Aiax, omne resplendet fretum.

Tandem

Tandem occupata rupe, furibundum intonat:
Superasse nunc se pelagus, atq; ignes, iuuat
Vicisse cœlum, Palladem, fulmen, mare.
Non me fugauit bellici terror dei,
Et Hectorem una solus, & Martem tuli,
Phœbea nec me tela pepulerunt gradu,
Cum Phrygibus istos uicimus: tandem horream
Aliena inerti tela mitti dextera?
Quid si ipse mittat? plura cum auderet furens,
Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus, imis exerens undis caput,
Soluitq; montem, quem cadens secum tulit:
Terraq; & igne uictus, & pelago iacet.
Nos alia maior naufragos pestis uocat.
Est humilis unda scrupeis mendax uadis,
Vbi saxa rapidis clausa uorticibus tegit
Fallax Caphareus: æstuat scopulis fretum,
Feruetq; semper fluctus alterna uice.
Arx imminet prærupta, quæ spectat mare
Vtrinq; geminum: Pelopis hinc oras tui,
Et Isthmon, arcto qui recuruatus solo
Ionia iungi maria Phryxeis uetat.
Hinc scelere Lemnon nobilem, & hinc Chalcida
Tardamq; ratibus Aulida: hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor, & clarum manu

Lumen nefanda uertice ex summo eff.rens,
In saxa ducit perfida classem face.
Hærent acutis rupibus fixe rates,
Has inopis undæ breuia comminuunt uada,
Pars uehitur, huius prima pars scopulo sedet,
Hanc alia retro spatia relegentem ferit,
Et fracta frangit: iam timent terram rates,
Voluntq; maria: cedit in luctum furor.
Postquam litatum est, Phœbus in lucem redit.
Et damna noctis tristis ostendit dies.
CLY. Vtrúm ne doleam, læter an reducem uirum,
Remeasse: lætor: uulnus at regni graue
Lugere cogor, redde iam Grais pater,
Altisona quatiens regna, placatos deos.
* ueletur Nunc omne læta fronde * uelletur caput,
Sacrifica dulces tibia effundat modos,
Et niuea magnas uictima ante aras cadat.
Sed ecce turba tristis incomptæ comas
Iliades adsunt: quas super celso gradu
Effrena Phœbas entheas laurus quatit.

CHORVS. CASSANDRA.

Variæ metrorum species ex dactylicis, anapæsticis, iambicis, adonijs partim sectionarijs.

QVàm mortalibus heu dulce malum additum
Vitæ dirus amor: cum pateat malis

Effugium, & miseros libera mors uocet
Portus æterna placidus quiete.
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella fortunæ mouet,
Aut iniqui flamma tonantis.
Pax alta nullos ciuium cœtus
Timet, aut minaces uictoris iras.
Non maria asperis insana Coris,
Non acies feras, puluereamq́; nubem
Motam barbaricis equitum cateruis:
Non urbe cum tota populos cadentes,
Hostica muros populante flamma.
Indomitumúe bellum perrumpet omne
Solus contemptor leuium deorum.
Qui uultus Acherontis atri,
Qui Styga tristem non tristis uidet,
Audetq́; uitæ ponere finem,
Par ille regi, par superis erit.
O quàm miserum est nescire mori.
Vidimus patriam ruentem nocte funesta,
Cum Dardana tecta Dorici raperent ignes:
Non illa bello uicta, nec armis,
Vt quondam Herculea cecidit pharetra:
Quam non Pelei, Thetidisq́; natus,
Carusq́; Pelidæ nimium feroci

Vicit, acceptis cum fulsit armis,
Fuditq; Troas falsus Achilles:
Aut cum ipse Pelides animos feroces
*celeriq; Sustulit luctu, * celeremq; saltu
Troades summis timuere muris.
Perdidit in malis extremum decus,
Fortiter uinci restitit annis
Troia bisquinis, unius noctis peritura fato.
Vidimus simulata dona molis immensæ,
*traximus Danaumq; fatale munus * duximus nostra
Creduli dextra, tremuitq; sæpe
*ipso Limine in * primo sonipes cauernis
Conditos reges, bellumq; gestans.
Et licuit uersare dolos, ut ipsi
Fraude sua capti caderent Pelasgi.
Sæpe commotæ sonuere parmæ,
Tacitumq; murmur percussit aures,
Et fremuit male subdolo parens
Pyrrhus Vlyssi.
Secura metu Troica pubes,
Sacros gaudet tangere funes.
Hinc æquæui gregis, Astyanax,
*uiro Hinc Hæmonio desponsa * rogo,
Ducunt turmas: hæc fœmineas,
Ille uiriles.

Festæ matres uotiua ferunt
Munera diuis.
Festi patres adeunt aras,
Vnus totaq; est uultus in urbe.
Et, quod nunquam post Hectoreos
Vidimus ignes,
Læta est Hecube: quid nunc primum
Dolor infelix,
Quidue extremum deflere paras?
Mœnia diuûm fabricata manu
Diruta nostra?
An templa deos super usta suos?
Non uacat istis lachrymare malis,
Te magne parens flent Iliades.
Vidi, uidi senis in iugulo,
Telum Pyrrhi uix exiguo,
Sanguine tingui.
CAS. *Cohibete lachrymas omne quas tempus petit*
Troades, & ipsæ uestra lamentabili
Lugente gemitu funera, ærumnæ meæ
Socium recusant, cladibus questus meis.
Remouete, nostris ipsa sufficiam malis.
CHO. *Lachrymas lachrymis miscere iuuat.*
Magis exurunt, quos secretæ
Lacerant curæ.

Iuuat in medium deflere suos,
Nec enim, quamuis dura uirago
Patiensq; mali,
Poteris tantas flere ruinas.
Non quæ uerno nobile carmen
Ramo cantat tristis Aëdon
Ityn in uarios modulata sonos,
Non quæ tectis Bistonis ales
Residens summis impia diri
Furta mariti garrula deflet,
Lugere tuam poterit digne conquesta domum,
Licet ipse u[illegible]t clarus niueos
Inter olores
Istrum Cycnus, Tanaimq; colens
Extrema loqui: licet Halcyones
Ceyca suum fluctu leuiter plangente sonent,
Cum tranquillo male confisæ
Credunt iterum pelago audaces,
Fœtusq; suos nido pauidæ titubante fouent.
Non si molles imitata uiros
Tristis laceret brachia tecum,
Quæ turritæ turba parenti
Pectore rauco concita, buxum
Ferit, ut Phrygium lugeat Atym.
Non est lachrymls Cassandra modus,

Quia

Quia quæ patimur uicere modum.
Sed cur sacratas diripis capiti infulas?
Miseris colendos maxime superos reor.
CAS. Vicere nostra iam metus omnes mala.
Equidem nec ulla cœlites placo prece:
Nec si uelint sæuire, quo noceant, habent.
Fortuna uires ipsa consumpsit suas.
Quæ patria restat? quis pater? quæ iam soror?
Bibere tumuli sanguinem, atq; aræ meum.
Q[illegible] illa felix turba fraterni gregis?
Exhausta nem[illegible]: regiam miseri senis
Vacuamq; relicti totq; per thalamos uident
Præter Lacænam cæteras uiduas nurus.
Tot illa regum mater, & regimen Phrygum
Fœcunda in ignes Hecuba: fatorum nouas
Experta leges, induit uultus feros:
Circa ruinas rabida latrauit suas
Troiæ superstes, Hectori, Priamo, sibi.
CHO. Silet repente Phœbas, & pallor genas,
Creberq; totum possidet corpus tremor.
Stetere uittæ, mollis horrescit coma,
Anhela corda murmure incluso fremunt:
Incerta * nutant lumina, & uersi retro * micant
Torquentur oculi, rursus immites rigent.
Nunc leuat in auras altior solito caput,

Graditurq;

Graditurq́; celsa, nunc reluctantes parat
Reserare fauces, uerba nunc clauso male
Custodit ore, Mænas impatiens dei.
CAS. Quid me furoris incitam stimulis noui,
Quid mentis inopem sacra Parnasi iuga
Rapitis? recede Phœbe, iam non sum tua.
Extingue flammas pectori infixas meo.
Cui nunc uagor uesana? cui bacchor furens?
Iam Troia cecidit falsa quid uates ago?
Vbi sum? fugit lux alma, & obscurat genas
Nox alta, & æther obditus tenebris latet.
Sed ecce gemino sole præfulget dies,
Geminumq́; duplices Argos attollit domos:
Idæa cerno nemora, fatalis sedet
Inter potentes arbiter pastor deas.
*Timere *Timete reges moneo, furtiuum genus.
Agrestis ille alumnus euertet domum.
Quid ista uecors tela fœminea manu
Districta præfert? quem petit dextra uirum
Lacena cultu ferrum Amazonium gerens?
Quæ uersat oculos alta nunc facies meos?
Victor ferarum colla uexatus iacet,
Ignobili sub dente Marmaricus Leo
Morsus cruentos passus audacis leæ.
Quid me uocatis sospitem solam è meis

Vmbræ meorum? te ſequor tota pater
Troia ſepulta, frater auxilium Phrygum,
Terrorq; Danaum: non ego antiquum decus
Video, aut calentes ratibus exuſtis manus,
Sed lacera membra, & ſaucios uinclo graui
Fortes lacertos, te ſequor nimium cito
Congreſſe Achilli Troile, incertos geris
Deiphœbe uultus, coniugis munus nouæ.
Iuuat per ipſos ingredi Stygios lacus:
Iuuat uidere tartari ſæuum canem,
Auidiq; regna Ditis: hæc hodie ratis
Phlegethontis atri regias animus uehet,
Victamq;, uictricemq;: uos umbræ precor,
Iurata ſuperis unda te pariter precor,
Reſerate paulum terga nigrantis poli,
Leuis ut Mycenas turba proſpiciat Phrygum.
Spectate miſeri: fata ſe uertunt retro.
Inſtant ſorores ſqualidæ, ſanguinea iactant uerbera,
Fert læua ſemuſtas faces, ardentq; pallentes genæ,
Et ueſtis atri funeris exeſa cingit ilia,
Strepuntq; nocturni metus, & oſſa uaſti corporis
Corrupta longinquo ſitu palude limoſa iacent.
Et ecce defeſſus ſenex ad ora ludentes aquas
Non captat oblitus ſitis, mæſtus futuro funere.
Exultat, & ponit gradus pater decoros Dardanus.

CH. Iam

CH. Iam peruagatus ipse se fregit furor,
Caditq́;, flexo qualis ante aras gradu
Ceruice taurus uulnus incisa gerens.
Releuemus artus entheos: tandem suos
Victrice lauro cinctus Agamemnon adit.
Coniunxq́; pariter obuios illi tulit
Gressus, reditq́; iuncta concordi gradu.

ACTVS QVARTVS.

Quintus actus huius tragœdiæ quidam uolunt supra esse: furorem & uaticinium Cassandræ. Et primo ostendit quomodo Cassandra furiā uaticinādi cōcepit, secūdo quomodo Agamemnon cū ea colloquium habuit, ibi: Tandē reuertet. Prima pars cōtinet sermones septē, quorū primus est Chori Troianorū deflentis ruinas. Et scribitur planctus hic metro dactilico tetrametro. Plangens ergo Chorus Iliadū ruinā Troianorū. Primoq́; plangit ruinā Troiæ, secundo ostendit Priamū inter alias clades plus plangendū, ibi: Quid nūc. Primoq́; cōmendat mortē per quā fugiunt mala presentia, secūdo plangit Troiæ ruinā, ibi: Vidi. Tertio quantum ad primum dicit supra: Heu.

Trimetri

Trimetri Iambici.

AGAMEMNON. CASSANDRA.

TAndem reuertor ſoſpes ad patrios lares:
O cara ſalue terra, tibi tot barbaræ
Dedere gentes ſpolia: tibi felix diu
Potentis Aſiæ Troia ſummiſit manus.
Cur iſta uates corpus effuſa, ac tremens
Dubia labat ceruice? famuli attollite,
Reſouete gelido latice, iam recipit diem
Marcente uiſu, ſuſcita ſenſus tuos.
Optatus ille portus ærumnis adeſt:
Feſtus dies eſt. CAS. Feſtus & Troiæ fuit.
AG. Veneremur aras. CAS. Cecidit ante aras pater.
AG. Iouem precemur pariter. CAS. * Herceum Iouem? *Herculeũ
AG. Credis uidere te Ilium? CAS. Et Priamum ſimul.
AG. Hic Troia nõ eſt. CA. Vbi Helena eſt, Troiã puto.
AG. Ne metue dominam famula. CAS. Libertas adeſt.
AG. Secura uiue. CAS. Mors mihi eſt ſecuritas.
AG. Nullũ eſt periclũ tibimet. CAS. At magnũ tibi eſt.
AG. Victor timere quid poteſt? CAS. Quod non timet.
AG. Hanc fida famuli turba, dum excutiat deum,
Retinete, nequid impotens peccet furor.
At te pater, qui ſæua torques fulmina,

Pellisq; nubes, sydera & terras regis,
Ad quem triumphi spolia uictores ferunt.
Et te sororem cuncta pollentis uiri
Argolica Iuno, pecore uotiuo libens
Arabumq; donis, * supplice & fibra colam.

* supplex & fibris

CHORVS GRAECORVM.

Versus Asclepiadei, Iambici, Trochaici, & Sapphici.

ARgos nobilibus nobile ciuibus,
Argos iratæ carum nouercæ,
Semper ingentes educas alumnos,
Imparem æquasti numero deorum.
Tuus ille bisseno meruit labore
Allegi cœlo magnus Alcides,
Cui lege mundi Iuppiter rupta,
Roscidæ noctis geminauit horas,
Iußitq; Phœbum tardius sceleres
Agitare currus, & tuas lente
Remeare bigas candida Phœbe:
Retulitq; pedem alternis nomen
Stella quæ mutat, seq; mirata est
Hesperum dici: Aurora mouit
Ad solitas uices caput, & relabens
Imposuit senis humero mariti.

Sensit

Sensit ortus, sensit occasus,
Herculem nasci: uiolentus ille
Nocte non una poterat creari:
Tibi concitatus substitit mundus,
O puer magnum subiture cœlum.
Te sensit nemeæus arcto
Pressus lacerto fulmineus Leo,
Ceruaq; Parrhasis:
Sensit Arcadij populator agri,
Gemuitq; taurus Dictæa linquens
Horridus arua.
* Morte fœcundum domuit draconem, * Sorte
Vetuitq; collo pereunte nasci.
Geminosq; fratres pectore ab uno
Tria monstra natos, stipite incusso
Fregit insultans: duxit ad ortus
Hesperium pecus Geryonei
Spolium triformis.
Egit Threicium gregem,
Quem non Strymonij gramine fluminis,
Hebriue ripis pauit tyrannus.
Hospitum dirus stabulis cruorem
Præbuit sæuis, tinxitq; crudos
Vltimus rictus sanguis aurigæ.
Vidit Hippolyte ferox

201

Pectore è medio rapi spolium, & sagittas.
Nube percussa Stymphalis alto
Decidit cœlo.
Arborq; pomis fertilis aureis
Extimuit manus insueta carpi,
Fugitq; in auras leuiore ramo.
Audiuit sonitum crepitante flamma
Frigidus custos nescius somni,
Linqueret cum iam nemus omne fuluo
Plenus Alcides uacuum metallo.
Tractus ad cœlum canis inferorum.
Triplici catena tacuit, nec ullo
Latrauit ore, lucis ignotæ
Metuens colorem: te duce succidit
Mendax Dardaniæ domus,
Et sensit arcus iterum timendos:
Te duce concidit totidem diebus
Troia quotannis.

ACTVS QVINTVS.

Quintus actus huius tragœdiæ, est de occisione Agamemnonis cum persecutione prolis eius & interfectione Cassandræ, ponitur in hoc carmine nono & ultimo quod scribitur metro archiloico & diuiditur in tres

tres partes, quia primo agit de interfectione Agamemnonis, & dicit: Res magna.

Trimetri Iambici.

CASSANDRA.

Res agitur intus magna, per annis decem.
Eheu quid hoc est? anime consurge, & cape
Pretium furoris, uicimus uicti Phryges.
Bene est, resurgis Troia, traxisti iacens
Pares Mycenas, terga dat uictor tuus.
Tam clara nunquam prouidæ mentis furor
Ostendit oculis: uideo, & intersum, & fruor.
Imago uisus dubia non fallit meos,
Spectamus: epulæ regia instructæ domo,
Quales fuerunt ultimæ Phrygibus dapes,
Celebrantur, ostro lectus Iliaco nitet,
Merumq; in auro ueteris Assarici trahunt,
Et ipse picta ueste sublimis iacet
Priami superbas corpore exuuias gerens.
Detrahere cultus uxor hostiles iubet,
Induere potius coniugis fidæ manu
Textos amictus: horreo, atq; animo tremo.
Regémne perimet exul, & adulter uirum?
Venere fata, sanguinem extremæ dapes
Domini uidebunt, & cruor baccho incidet.

Mortifera uinctum perfidæ tradet neci.
Induta uestis exitum manibus negat,
* niuei Caputq; laxi, & * inuij claudunt sinus.
Haurit trementi semiuir dextra latus,
Nec penitus adigit, uulnere in medio stupet.
At ille, ut altis hispidus syluis aper,
Cum casse uinctus, tentat egressus tamen,
Arctatq; motu uincla, & incassum furit.
Cupit fluentes undiq;, & cæcos sinus
Disijcere, & hostem quærit implicitum suum.
Armat bipenni Tyndaris dextram furens.
Qualisq; ad aras colla taurorum prius
Designat oculis antequam ferro petat.
Sic huc, & illuc, impiam librat manum.
Habet: peractum est: pendet exigua male
Caput amputatum parte, & hinc trunco cruor
Exundat, illinc ora cum fremitu iacent.
Nondum recedunt, ille iam exanimem petit,
Laceratq; corpus, illa fodientem adiuuat.
Vterq; tanto scelere respondet suis.
Hic est Thyeste natus, hæc Helenæ soror.
Stat ecce Titan dubius emerito die,
Sua ne currat an Thyestea uia.

ELECTRA.

Trimetri Iambici.

FVge ô paternæ mortis auxilium unicum,
Fugito, scelestas hostium euita manus.
Euersa domus est funditus, regna occidunt.
Quis iste celeres concitus currus agit?
Germane uultus ueste furabor tuos.
Quos anime demens refugis? externos fugis?
Domus timenda est, pone iam trepidos metus
Oresta: amici fida præsidia intuor.

STROPHILVS. ELECTRA.

Trimetri Iambici.

PHocide relicta Strophilus, Elea inclytus
Palma reuertor: causa ueniendi fuit
Gratari amico, cuius impulsum manu
Cecidit decenni marte concussum Ilium.
Quænam ista lachrymis lugubrem uultum rigat?
Pauetq; mœsta? regium agnosco genus.
Electra luctus causa quæ læta in domo est?
EL. Pater peremptus scelere materno iacet,
Comes paternæ quæritur natus neci.
Aegisthus arces Venere quæsitas tenet.
ST. O nulla longi temporis felicitas.

EL. Per te parentis memoriam obtestor mei,
Per sceptra terris nota, per dubios deos,
Recipe hunc Oresten, ac pium furtum occule.
ST. Et si timendum cæsus Agamemnon docet,
Aggrediar, & te Oresta furabor libens.
Poscunt fidem secunda, at aduersa exigunt.
Cape hoc decorum ludicri certaminis
Insigne frontis, læua uictricem tenens
Frondem, uirenti protegat ramo caput:
Et ista demum palma Pisæi Iouis
Velamen eadem præstet, atq; omen tibi.
Tuq; ô paternis assidens frenis comes
Condisce Pilade patris exemplo fidem.
Vos Græcia nunc teste ueloces equi
Infida cursu fugite præcipiti loca.
EL. Excessit, abijt currus effreno impetu,
Effugit aciem: tuta iam operiar meos
Hostes, & ultro uulneri opponam caput,
Adest cruenta coniugis uictrix sui.
Et signa cædis ueste maculata gerit:
Manus recenti sanguine etiamnum madent,
Vultusq; præ se scelera truculenti ferunt.
Concedam ad aras, patere me uittis tuis
Cassandra iungi, paria metuentem tibi.

CLYTEM-

CLYTEMNAESTRA. ELECTRA.
AEGISTHVS. CASSANDRA.

Trimetri Iambici.

HOstis parentis impium atq; audax caput,
Quo more cœtus publicos uirgo petis?
EL. Adulterorum uirgo deserui domum.
CLY. Quis esse credat uirginem? EL. Gnatam tuam?
CLY. Modestius cum matre. EL. * Pietatem doces? * Eia tandē doces?
CLY. Animos uiriles corde tumefacto geris,
Sed agere domita fœminam disces malo.
EL. Ni forte fallor, fœminas ferrum decet.
CLY. Et esse demens te parem nobis putas?
EL. Nobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?
CLY. Indomita post hæc uirginis uerba impiæ
Regina frangam * citius. EL. Interea mihi * EL. Mitius interea
Tu uidua loquere: uir caret uita tuus.
CLY. Edissere ubi sit gnatus, ubi frater tuus.
EL. Exijt Mycenas. CLY. Redde nunc natum mihi.
EL. Et tu parentem redde. CLY. Quo latitat loco?
EL. Tutò, quietus regna non metuens noua:
Iustæ parenti satis, at iratæ parum.
CLY. Morieris hodie. EL. Dūmodo hac moriar manu.
Recedo ab aris, siue te iugulo iuuat
Mersisse ferrum, præbeo iugulum uolens:

204

Seu more pecudum colla resecari placet,
Intenta ceruix uulnus expectat tuum.
Scelus peractum est: cæde resperſam uiri
Atq; obſoletam ſanguine hoc dextram ablue.
CLY. Conſors pericli pariter, ac regni mei
Aegiſthe gaudes? nata genitricem impie
Probris laceſſit, abditum fratrem occulit.
AEG. Furibunda uirgo uocis infandæ ſonum,
Et aure uerba indigna materna opprime.
EL. Etiam monebit ſceleris infandi artifex
Per ſcelera nactus nomen ambiguum ſuis,
Idem ſororis natus, & patris nepos.
CLY. Aegiſthe ceſſas impium ferro caput
Demetere? fratrem reddat, aut animam ſtatim
Abſtruſa cæco carcere, & ſaxo exigat
Aeuum per omnes torta pœnarum modos:
Referre, quem nunc occulit, forſan uolet
Inops, egens, incluſa, pædore obſita,
Vidua ante thalamos, exul, inuiſa omnibus
Aethere negata, ſerò ſuccumbet malis.
EL. Concede mortem. CLY. Si recuſares, darem.
Rudis eſt tyrannus morte qui pœnam exigit.
EL. Mortē aliquid ultra eſt? CLY. Vita, ſi cupias mori.
Arripite famuli monſtrum, & auectam procul
Vltro Mycenas ultimo in regni angulo

Vincite septam nocte tenebrosi specus,
Vt inquietam uirginem carcer domet.
At ista pœnas capite persoluat suo
Captiua coniunx, regij pellex tori:
Trahite, ut sequatur coniugem ereptum mihi.
CAS. Ne trahite, uestros ipsa præcedam gradus.
Perferre prima nuntium Phrygibus meis
Propero, repletum ratibus euersis mare,
Captas Mycenas, mille ductorem ducum.
Vt paria fata Troicis tulerit malis.
Perijt dono fœminæ, stupro, dolo,
Nihil moramur, rapite, quin grates ago.
Iam iam iuuat uixisse, post Troiam, iuuat.
CLY. Furibunda morere. CA. Veniet & uobis furor.

TRAGOEDIAE INTERLOCVTORES.

Octauia.	Nuntius.
Nutrix.	Agrippina.
Chorus Romanorum.	Poppea.
Seneca.	Nero.

Præfectus.

TRAGOE-


TRAGOEDIA NONA, QVAE INSCRIBITVR OCTAVIA.

ACTVS PRIMVS.

Continet hæc tragœdia actus quatuor, quorũ primus est plãctus de repudio Octauiæ. Vbi primo ponitur planctus Octauiæ: secũdo planctus chori super idẽ: ibi. Quæ fama. Et primo inducitur Octauia & Nutrix seorsum plangentes, secundo unà simul: ibi. O mea nullis. Primoq́ ponit planctum Octauiæ, secundo Nutricis: ibi Fugite. In primo ergo metro huius partis quod est pindaricũ inducitur Octauia plangens angustiam suam propter auersionem mariti à se, unde dicit: Iam.

Anapæstici.

OCTAVIA.



Am uaga cœlo sydera fulgens
Aurora fugat, surgit Titan
Radiante coma, mundoq́; diem
Reddit clarum: eia age tantis
Onerata malis, repete assuetos
Iam tibi questus.

Atq;

Atq; æquoreas uince Halcyonas,
Vince & uolucres Pandionias.
Grauior nanq; hijs fortuna tua est:
Semper genitrix deflenda mihi
Prima meorum causa malorum,
Tristes questus natæ exaudi,
Si quis remanet sensus in umbris.
Vtinam ante manu grandæua sua
Mea rupisset stamine Clotho,
Tua quàm mœrens uulnera uidi,
Oraq; fœdo sparsa cruore.
O lux semper funesta mihi.
Tempore ab illo lux est tenebris
Inuisa magis.
Tulimus sæuæ iussa nouercæ,
Hostilem animum, uultusq; truces.
Illa illa meis tristis Erinnys
Thalamis Stygios prætulit ignes,
Teq; extinxit miserande pater,
Modo cui totus paruit orbis
Vltra oceanum:
Cuiq; Britanni terga dedere
Ducibus nostris ante ignoti
Iurisq; sui.
Coniugis, heu me, pater insidijs

206

Oppressæ iaces, seruitq; domus
Cum prole tua capta tyranno.

NVTRIX.

Trimetri Iambici.

FVlgore primo captus, & facili bono
Fallacis aulæ, quisquis attonitus stupet.
Subito latentis ecce fortunæ impetu
Modo præpotentem cernat euersam domum,
Stirpemq; Claudij, cuius imperio fuit
Subiectus orbis: paruit liber diu
Oceanus, & recepit inuitus rates.
En qui ora Tanais primus imposuit iugo,
Ignota tantis claßibus texit freta,
Interq; gentes barbaras tutus fuit,
Et sæua maria, coniugis scelere occidit,
Mox illa gnati, cuius extinctus iacet
Frater uenenis: mœret infelix soror,
Eademq; coniunx, nec graues luctus ualet
Ira coacta tegere crudelis uiri.
Secreta refugit semper, atq; odio pari
Ardens mariti mutua flagrat face.
Animum dolentis nostra solatur fides,
Pietasq; frustra: mittit immitis dolor
Consilia nostra: nec regi mentis potest

Generosus

Generosus ardor, sed malis uires capit:
Heu quàm nefandum prospicit noster timor
Scelus, quod utinam numen auertat deûm.

OCTAVIA. NVTRIX.

Anapæstici.

O Mea nullis æquanda malis
Fortuna, licet
Repetam luctus Electra tuos.
Tibi mœrenti cæsum licuit
Flere parentem.
Scelus ulcisci uindice fratre,
Tua quem pietas hosti rapuit
Texitq; fides.
Me crudeli sorte parentes
Raptos prohibet lugere timor,
Fratrisq; necem deflere uetat;
In quo fuerat spes una mihi,
Totq; malorum breue solamen.
Nunc in luctus seruata meos
Magni resto nominis umbra.
NVT. Vox en nostras perculit aures
Tristis alumnæ: cessat thalamis
Inferre gradus tarda senectus.
OC. Excipe nostras

Lachrymas

207

Lachrymas nutrix, testis nostri
Fida doloris.
NVT. Quis te tantis soluet curis
Miseranda dies?
OC. Qui me Stygias mittet ad umbras.
NVT. Omnia, quæso, sint ista procul.
OC. Non uota meos tua nunc casus,
Sed fata regunt.
NVT. Dabit afflictæ meliora deus
Tempora mitis: tu modo blando
Vince obsequio placata uirum.
OC. Vincam sæuos ante leones,
Tigresq; truces, fera quàm sæui
Corda tyranni.
Odit genitos sanguine claro,
Spernit superbos, humilesq; simul,
Nec fortunam capit ipse suam,
Quam dedit illi per scelus ingens
Infanda parens, licet ingratum
Diræ pudeat munere matris,
Hoc imperium cepisse, licet
Tantum munus morte rependat,
Feret hunc titulum post fata tamen
Fœmina longo semper in æuo.
NVT. Animi retine uerba furentis.

Temere

Temere emissam comprime uocem.

OCTAVIA. NVTRIX.

Trimetri Iambici.

TOleranda quamuis patiar, haud unquam queam,
Nisi morte tristi nostra finiri mala,
Genitrice cæsa, per scelus rapto patre,
Orbata fratre, miserijs, luctu obruta,
Mœrore pressa, coniugi inuisa, ac meæ
Subiecta * famulæ, luce non grata fruor, * familiæ
Trepidante semper corde, non mortis metu
Sed sceleris, absit crimen à fatis meis.
Mori iuuabit: pœna nam grauior nece est:
Videre tumidos, & truces miseræ mihi
Vultus tyranni, iungere atq; hosti oscula,
Timere nutus, cuius obsequium meus
Haud ferre posset fata post fratris dolor
Scelere interempti, cuius imperium tenet,
Et morte gaudet autor infandæ necis.
Quàm sæpe tristis umbra germani meis
Offertur oculis, membra cum soluit quies,
Et fessa fletu lumina oppreßit sopor?
Modo facibus atris armat infirmas manus,
Oculosq;, & ora fratris infestus petit.
Modo trepidus idem refugit in thalamos meos,

Persequitur

Perſequitur hoſtis, atq; inhærenti mihi,
Violentus enſem per latus noſtrum rapit.
Tunc tremor, & ingens excutit ſomnos pauor,
Renouatq; luctus, & metus miſeræ mihi.
Adijce his ſuperbam pellicem noſtræ domus
Spolijs nitentem, cuius in munus ſuam
Stygiæ parentem natus impoſuit rati.
Quam dira poſt naufragia ſuperato mari
Ferro interemit ſæuior pelagi fretis.
Quæ ſpes ſalutis poſt nefas tantum mihi?
Inimica, uictrix, imminet thalamis meis,
Odioq; noſtri flagrat, & pretium ſtupri
Iuſte maritum coniugis captat caput.
Emergere undis, & fer auxilium tuæ
Natæ inuocanti genitor, aut Stygios ſinus
Tellure rupta pande, quo præceps ferar.
NVT. Fruſtra parentis inuocas manes tui
Miſeranda, fruſtra, nulla cui prolis ſuæ
Manet inter umbras cura, qui nato ſuo
Præferre potuit ſanguine alieno ſatum,
Genitamq; fratris coniugem * captus ſibi
Toris nefandis flebili iunxit face.
Hinc orta ſeries facinorum, cædes, doli,
Regni cupido, ſanguinis diri ſitis.
Mactata ſoceri concidit thalamis gener

* nactus

Victima

Victima, tuis ne fieret hymenæis potens.
Pro facinus ingens, fœminæ eſt munus datus
Syllanus, & cruore fœdauit ſuo
Patrios penates, criminis factus reus.
Intrauit hoſtis, hei mihi, captam domum
Dolis nouercæ principis factus gener,
Idemq; natus, iuuenis infandi ingenij,
Capaxq; ſcelerum, dira cui genitrix facem
Accendit, & te iunxit inuitam metu.
Tantoq; uictrix facta ſucceſſu ferox
Auſa imminere eſt orbis imperio ſacri.
Quis tot referre facinorum formas poteſt?
Et ſpes nefandas fœminæ, & blandos dolos
Regnum petentis per gradum ſcelerum omnium?
Tunc ſancta pietas extulit trepidos gradus,
Vacuamq; Erinnys ſæua funeſto pede
Intrauit aulam, polluit Stygia face
Sacros penates, iura naturæ furens
Fasq; omne rupit, miſcuit coniunx uiro
Venena ſæua, cecidit atq; eadem ſui
Mox ſcelere nati tu quoq; extinctus iaces
Deflende nobis ſemper infelix puer,
Modo ſydus orbis, columen auguſtæ domus
Britannice: heu me, nunc leuis tantum cinis,
Et triſtis umbra, ſæua cui lachrymas dedit

Etiam nouerca, cum rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraq;, & uultus deo
Similes * uolanti flamma feruens abstulit.
OC. Extinguat & me, ne manu nostra cadat.
NVT. Natura non uires dedit tantas tibi.
OC. Dolor, ira, mœror, miseriæ, luctus dabunt.
NVT. Vince obsequendo potius immitem uirum.
OC. Vt fratrem ademptum scelere restituat mihi?
NVT. Incolumis ut sis ipsa, labentem ut domum
Genitoris olim sobole restituas tua.
OC. Expectet aliam principis sobolem domus.
Me dira miseri fata germani trahunt.
NVT. Confirmet animum ciuium tantus fauor.
OC. Solatur iste, nostra non releuat mala.
NV. Vis magna populi est. OC. Principis maior tamen.
NVT. Respiciet ipse coniugem. OC. Pellex uetat.
NVT. Inuisa cunctis nempe. OC. Sed cara est uiro.
NVT. Nondũ uxor est. OC. Iam fiet & genitrix simul.
NVT. Iuuenilis ardor impetu primo furit,
Languescit idem facile, nec durat diu
In Venere turpi, ceu leuis flammæ uapor:
Amor perennis coniugis castæ manet.
Violare prima quæ toros ausa est tuos,
Animumq; domini famula possedit diu,
Iam metuet eadem, nempe prælatam sibi

* Mercurio

Subiecta, & humilis, atq; monumenta extruit,
Quibus timorem fassa testatur suum,
Et hanc leuis, fallaxq; destituet deus
Volucer Cupido: sit licet forma eminens,
Opibus superba, gaudium capiet breue.
Passa est similes ipsa dolores
Regina deûm,
Cum se formas uertit in omnes
Dominus cœli, diuûmq; pater,
Et modo pinnas sumpsit oloris,
Modo Sidonij cornua tauri.
Aureus idem fulsit in imbri.
Fulgent cœlo sydera Ledæ.
Patrio residet Bacchus olympo.
Deus Alcides poßidet Heben,
Nec Iunonis iam timet iras,
Cuius gener est, qui fuit hostis,
Vicit sapiens tamen obsequium
Coniugis altæ, pressusq; dolor.
Sola tonantem tenet ætherio
Secura toro maxima Iuno,
Nec mortali captus forma
Deserit altam Iuppiter aulam.
Tu quoq; terris altera Iuno,
Soror Augusti, coniunxq; graues

210

Vince dolores.
OC. Iungentur ante ſæua ſyderibus freta,
Et ignis undæ, tartaro triſti polus,
Lux alma tenebris, roſcidæ nocti dies,
Quàm cum ſceleſti coniugis mente impia
Mens noſtra, ſemper fratris extincti memor.
Vtinam nefandi principis dirum caput
Obruere flammis cœlitum rector paret,
Qui ſæpe terras fulmine infeſto quatit,
Menteſq; noſtras ignibus terret ſacris,
Nouiſq; monſtris: uidimus cœlo iubar
Ardens cometam pandere infeſtam facem,
Qua plauſtra tardus noctis æterna uice
Regit Bootes, frigido arctoo rigens.
En ipſe diro ſpiritu ſæui ducis
Polluitur æther, gentibus clades nouas
* quæ Minantur aſtra, * quas regit dux impius.
Non tam ferum Typhona neglecto Ioue
Irata tellus edidit quondam parens.
Hæc grauior illo peſtis, hic hoſtis deûm
Hominumq;, templis expulit ſuperos ſuis,
Ciueſq; patria: ſpiritum fratri abſtulit,
Hauſit cruorem matris, & lucem uidet,
Fruiturq; uita, noxiam atq; animam trahit.
Prô ſumme genitor, tela cur fruſtra iacis

Inuicta

Inuicta toties temere regali manu?
In tam nocentem dextra cur cessat tua?
Vtinam suorum facinorum pœnas luat
Nero: ipse diuo Domitio genitus patre
Orbis tyrannus, quem premit turpi iugo,
Morumq; uitijs nomen augustum inquinat.
NVT. Indignus ille fateor * & thalamis tuis. *est
Sed cede fatis, atq; fortunæ tuæ
Alumna quæso, neue uiolenti moue
Iras mariti; forsitan uindex deus
Existet aliquis, lætus & ueniet dies.
OC. Graui deorum nostra iampridem domus
Vrgetur ira, prima quam pressit Venus
Furore miseræ dira genitricis meæ.
Quæ nupta demens nupsit incesta face
Oblita * nostri, coniugis, legum immemor. *iusti coniugij
Illo soluta crine, succincta anguibus,
Vltrix Erinnys uenit ad Stygios toros,
Raptasq; thalamis sanguine extinxit faces.
Incendit ira principis pectus truci
Cædem in nefandam: cecidit infelix parens
Heu nostra ferro, meq; perpetuo obruit
Extincta luctu, coniugem * trusit suum, *traxit
Natumq; ad umbras: prodidit lapsam domum.
NVT. Renouare luctus parce cum fletu pios,

Manes parentis, neue sollicita tuæ,
Graues furoris quæ sui pœnas dedit.

CHORVS ROMANORVM.

Anapæstici.

QVæ fama modo uenit ad aures,
Vtinam falso credita perdat
Frustra toties iactata fidem.
Nec noua coniunx nostri thalamos
Principis intret, teneatq; suos
Nupta penates Claudia proles,
Edat partu pignora pacis,
Qua tranquillus gaudeat orbis,
Seruetq; decus Roma æternum.
Fratris thalamos sortita tenet
Maxima Iuno: soror Augusti
Sociata toris cur à patria
Pellitur aula? sancta quid illi
Prodest pietas, diuusq; pater?
Quid uirginitas, castusq; pudor?
Nos quoq; nostri sumus immemores
Post fata ducis, cuius stirpem
Prodimus * seuo suadente metu. *æuo
Vera priorum uirtus quondam
Romana fuit, uerumq; genus
Martis

Martis in illis sanguisq; uiris.
Illi reges hac expulerant
Vrbe superbos, ultiq; tuos
Sunt bene manes uirgo dextra
Cæsa parentis, ne seruitium
Paterere graue, & improba ferret
Præmia uictrix dira libido.
Te quoq; bellum triste secutum est,
Mactata tua miseranda manu
Nata Lucreti, stuprum sæui
Passa tyranni: dedit infandi
Sceleris pœnas cum Tarquino
Tullia coniunx, quæ per cæsi
Membra parentis egit sæuos
Impia currus: laceroq; seni
Violenta rogos nata negauit.
Hoc quoq; nostra uidere nefas
Secula, magnum cum Tyrrhenum
Rate ferali princeps captam
Fraude parentem misit in æquor:
Properant placidos linquere portus
Iussi nautæ, resonant remis
Pulsata freta, fertur in altum
Prouecta ratis, quæ resoluto
Robore labens pressa dehiscit,

Sorbetq; mare: tollitur ingens
Clamor ad astra cum fœmineo
Mistus planctu: mors ante oculos
Dira uagatur, quærit læti
Sibi quisq; fugam: alij laceræ
Puppis tabulis hærent nudi,
Fluctusq; secant: repetunt alij
Littora nantes: multos mergunt
Fata profundo: scindit uestes
Augusta suas, laceratq; comas,
Rigat & mœstis fletibus ora.
Postquam spes est nulla salutis,
Ardens ira iam uicta malis,
Hæc, exclamat, mihi pro tanto
Munere reddis præmia nate?
Hac sum, fateor, digna carina,
Quæ te genui, quæ tibi lucem
Atq; imperium, nomenq; dedi
Cæsaris amens: exere uultus
Acheronte tuos, pœnisq; meis
Pascere coniunx: ego causa tuæ
Miserande necis, natoq; tuo
Funeris autor: en, ut merui,
Ferar ad manes inhumata tuos
Obruta sæuis æquoris undis.

Feriunt

Feriunt fluctus ora loquentis,
Ruit in pelagus: rursumq́; salo
Pressa resurgit, pellit palmis
Cogente metu fata, & cedit
Fessa labori: mansit tacitis
In pectoribus spreta tristi
Iam morte fides: multi dominæ
Ferre auxilium pelago fractis
Viribus audent, brachia quamuis
Lenta trahentem uoce hortantur,
Manibusq́; leuant: quid tibi sæui
Fugisse maris profuit undas?
Ferro es nati moritura tui:
Cuius facinus uix posteritas
Tarde semper credula credet.
Furit ereptam pelagoq́; dolet
Viuere matrem impius, ingens
Geminatq́; nefas, ruit in miseræ
Fata parentis, patiturq́; moram
Sceleris nullam: missus peragit
Iussa satelles, reserat dominæ
Pectora ferro: cædis moriens
Illa ministrum rogat infelix,
Vtero dirum condat ut ensem.
Hic est, hic est fodiendus, ait,

Ferro, monstrum qui tale tulit.
Post hanc uocem cum supremo
Mistam gemitu animam tandem
Per fera tristem uulnera reddit.

ACTVS SECVNDVS.

Secundus actus huius tragœdiæ est correctio Neronis facta per Senecã, & primo in isto carmine quod scribit metro archiloi co inducit Seneca tyrannidem Neronis & statum eius plangens, secũdo ipsum Neronem corripiẽs, ibi: Perage imperata. Quantum ad primum dicit: O fortuna.

Trimetri Iambici.

SENECA.

QVid me potens fortuna fallaci mihi
Blandita uultu sorte contentum mea
Alte extulisti? grauius ut ruerem edita
Receptus arce totq; prospicerem metus.
Melius latebam procul ab inuidiæ malis
Remotus inter Corsici rupes maris,
Vbi liber animus, & sui iuris, mihi
Semper uacabat studia recolenti mea.
O quàm iuuabat, quo nihil maius parens

Natura genuit, operis immensi artifex,
Cœlum intueri, solis & currus sacros,
Mundiq; motus, solis alternas uices,
Orbemq; Phœbes, astra quem cingunt uaga,
Lateq; fulgens ætheris magni decus.
Qui sese nescit tantus in cæcum chaos
Casurus iterum: nunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Cœli ruina, rursus ut stirpem nouam
Generet renascens melior, ut quondam tulit
Iuuenis tenente regna Saturno poli.
Tunc illa uirgo, numinis magni dea,
Iustitia cœlo missa cum sancta fide,
Terras regebat mitis, humanum genus
Non bella norant, non tubæ fremitus truces,
Non arma gentes, cingere assuerant suas
Muris nec urbes: peruium cunctis iter:
Communis usus omnium rerum fuit:
Et ipsa tellus læta fœcundos sinus
Pandebat ultro, tam pijs felix parens
Et tuta alumnis: alia sed soboles minus
Conspecta mitis, tertium solers genus
Nouas ad artes extitit, sanctum tamen,
Mox inquietum, quod sequi cursu feras
Auderet acres, fluctibus tectos graues

Extrahere

Extrahere pisces rete, uel calamo leui:
Decipere uolucres crate, uel calamo, aut leui
Tenere laqueo: premere subiectos iugo
* uomere Tauros feroces, * uulnere immunem prius
Sulcare terram, læsa quæ fruges suas
Interius alte condidit sacro sinu.
Sed in parentis uiscera intrauit suæ
Deterior ætas, eruit ferrum graue,
Aurumq; sæuas mox & armauit manus;
Partita fines regna constituit, nouas
Extruxit urbes, tecta defendit suis
Aliena telis, aut petit, prædæ imminens.
Neglecta terras fugit, & mores feros
Hominum cruenta cæde pollutas manus
Astrea uirgo, syderum magnum decus.
Cupido belli creuit, atq; auri fames,
Totum per orbem maximum exortum est malum.
Luxuria pestis blanda, cui uires dedit
Roburq; longum tempus, atq; error grauis.
Collecta uitia per tot ætates diu
In nos redundant, seculo premimur graui,
Quo scelera regnant, sæuit impietas furens,
Turpi libido Venere dominatur potens.
Luxuria uictrix orbis immensas opes
Iampridem auaris manibus, ut perdat, rapit.

Sed

Sed ecce gressu fertur attonito Nero,
Trucíq; uultu, quid ferat mente, horreo.

NERO. PRAEFECTVS. SENECA.

Trimetri Iambici.

PErage imperata, mitte qui Plauti mihi,
Syllæq; cæsi referat abscissum caput.
PR. Iussa haud morabor, castra confestim petam.
SE. Nihil in propinquos temere constitui decet.
NE. Iustum esse facile est, cui uacat pectus metu.
SE. Magnum timoris remedium clementia est.
NE. Extinguere hostem, maxima est uirtus ducis.
SE. Seruare ciues maior est patriæ patri.
NE. Præcipere mitem conuenit pueris senem.
SE. Regenda magis est feruida adolescentia.
NE. Aetate in hac satis esse consilij reor.
SE. Vt facta superi comprobent semper tua.
NE. Stulte uerebor, esse cum faciam, deos.
SE. Hoc plus uerere, quod licet tantum tibi.
NE. Fortuna nostra cuncta permittit mihi.
SE. Crede obsequenti parcius: leuis est dea.
NE. Inertis est, nescire, quid liceat sibi.
SE. Id facere laus est, quod decet, non quod licet.
NE. Calcat iacentem uulgus. SE. Inuisum opprimit.
NE. Ferrum tuetur principem. SE. Melius fides.

Decet

NE. Decet timeri Cæsarem. SE. At plus diligi.
NE. Metuāt necesse est. SE. Quicquid exprimitur graue est.
NE. Iussisq; nostris pareāt. SE. Iusta impera.
NE. Statuam ipse. SE. Quæ consensus efficiat rata.
NE. Despectus ensis faciet. SE. Hoc absit nefas.
NE. An patiar ultro sanguinem nostrum peti,
* Inuictus * Inuitus, & cotemptus, ut subito opprimar?
Exilia non fregere summotos procul
Plautum, atq; Syllam, pertinax quorum furor
Armat ministros sceleris in cædem meam.
Absentium cum maneat etiam ingens fauor
In urbe nostra, qui fouet spes exulum.
Tollantur hostes ense suspecti mihi.
*& Inuisa coniunx pereat, * ut carum sibi
Fratrem sequatur: quicquid excelsum est cadat.
SE. Pulchrum eminere est inter illustres uiros,
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa uirtus, petitur hac cœlum uia.
Sic ille patriæ primus Augustus parens
Complexus astra est, colitur & templis deus.
Illum tamen fortuna iactauit diu
Terra, mariq;, per graues belli uices,
Hostes parentis donec oppeßit sui.

Tibi

Tibi numen incruenta summisit suum,
Et dedit habenas imperij facili manu.
* Nutuq; terras, maria subiecit tuo, * Nutusq;
Inuidia tristis uicta, consensu pio
Cessit senatus, equitis accensus fauor,
Plebisq; uotum est, atq; iudicium patrum.
Tu pacis autor, generis humani arbiter
Electus, orbem tu sacra specie regis
Patriæ parens: quod nomen, ut serues, petit,
Suosq; ciues Roma commendat tibi.
NE. Munus deorum est, ipsa quod seruit mihi
Roma, & senatus, quodq; ab inuitis preces,
Humilesq; uoces exprimit nostri metus.
Seruare ciues principi & patriæ graues,
Claro tumentes genere, quæ dementia est?
Cum liceat una uoce suspectos sibi
Mori iubere? Brutus in cædem ducis,
A quo salutem tulerat, armauit manus.
Inuictus acie, gentium domitor, Ioui
Aequatus, altos sæpe per honorum gradus
Cæsar nefando ciuium scelere occidit.
Quantum cruoris Roma tunc uidit sui
Lacerata toties? ille qui meruit pia
Virtute cœlum, diuus Augustus, uiros
Quot interemit nobiles, iuuenes, senes,

Sparsos

216

Sparsos per orbem? cum suos mortis metu
Fugerent penates, & trium ferrum ducum
Tabula notante deditos tristi neci?
Exposita nostris capita cæsorum patres
Videre mœsti, flere nec licuit suos,
Non gemere, dira tabe polluto foro,
Stillante sanie per putres uultus graui.
Nec finis hic cruoris, aut cædis stetit:
Pauere uolucres, & feras sæuas diu
Tristes Philippi: hausit etiam Siculum mare
Classes, uirosq; sæpe cædentes suos.
Concussus orbis uiribus magnis ducum,
Superatus acie puppibus Nilum petit
Fuge paratis ipse periturus breui.
Hausit cruorem incesta Romani ducis
Aegyptus iterum, nunc leues umbras tegit.
Illic sepultum est impie gestum diu
Ciuile bellum, condidit tandem suos
Iam fessus enses uictor hebetatos feris
Vulneribus, & continuit imperium metu,
Armis, fideq; militis tutus fuit.
Pietate nati factus eximia deus
Post fata consecratus, & templis datus.
Nos quoq; manebunt astra, si sæuo prior
Ense occuparo quicquid infestum est mibi.

Dignaq;

Dignaq́; noſtram ſobole fundaro domum.
SE. Implebit aulam ſtirpe cœleſti tuam
Generata diuo, Claudiæ gentis decus,
Sortita fratris more Iunonis toros.
NE. Inceſta genitrix detrahit generi fidem,
Animusq́; nunquam coniugis iunctus mihi.
SE. Teneris in annis haud ſatis clara eſt fides,
Pudore uictus cum tegit flammas amor.
NE. Hoc equidem & ipſe credidi fruſtra diu,
Manifeſta quamuis pectore inſociabili
Vultuq́; ſigna proderent odium mei.
Tandem quod ardens ſtatuit ulciſci dolor,
Dignamq́; thalamis coniugem inueni meis
Genere, atq; forma, uicta cui cedat Venus
Iouisq́; coniunx, & ferox armis dea.
SE. Probitas, fidesq́;, coniugis mores, pudor,
Placeant marito: ſola perpetuo manens
Subiecta nulli mentis, atq; animi bona,
Florem decoris ſinguli carpunt dies.
NE. Omnes in unam contulit laudes deus,
Talemq́; naſci fata uoluerunt mihi.
SE. Recedat à te, temere ne credas, amor.
NE. Quem ſubmouere fulminis dominus nequit
Cœli tyrannum, ſæua qui penetrat freta,
Ditisq́; regna, detrahit ſuperos polo?

217

SE. Volucrem esse amorem fingit immitem deum
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcusq; sacros instruit sæua face:
Genitumq; credit enere Vulcano satum.
Vis magna mentis, blandus, atq; animi calor
Amor est, iuuente gignitur luxu, otio
Nutritur inter læta fortunæ bona.
Quem si fouere atq; alere desistas, cadit,
Breuiq; uires perdit extinctus suas.
Hanc esse uitæ maximam causam reor,
Per quam uoluptas oritur, interitu caret,
Cum procreetur semper humanum genus
Amore grato, qui truces mulcet feras.
NE. Hic mihi iugales præferat tedas deus,
* Iungatq; * Iugetq; nostris igne Poppeam toris.
SE. Vix sustinere posset hos thalamos deus
Videre, populi sancta nec pietas sinat.
NE. Prohibebor unus facere quod cunctis licet?
SE. Maiora populus semper à summo exigit.
NE. Libet experiri, uiribus fractus meis,
An cedat animis temere conceptus furor.
SE. Obsequere potius ciuibus placidus tuis.
NE. Male imperatur, cum regit uulgus duces.
SE. Nihil impetrare cum ualet, iuste dolet.
NE. Exprimere ius est, ferre quod nequeunt preces.

SE. Negare

SE. Negare durum est. NE. Principem cogi nefas.
SE. Permittat ipse. NE. Fama sed uictum feret.
SE. Leuis atq; uana. NE. Sit licet, multos notat.
SE. Excelsa metuit. NE. Non minus carpit tamen.
SE. Facile opprimetur, merita te diui patris
Aetasq; frangant coniugis, probitas, pudor.
NE. Desiste tandem, iam grauis nimium mihi,
Instare, liceat facere quod Seneca improbat.
Et ipse populi uota iampridem moror,
Cum portet utero pignus, & partem mei,
Quin destinamus proximam thalamis diem?

ACTVS TERTIVS.

Tertius actus huius tragœdiæ est de matrimonio Poppeæ, Octauia repudiata. Et cõtinentur hoc loco duæ partes, primo enim inducitur mater Neronis, emersa ab inferno, plangẽs has nuptias & prædicẽs mala futura Neronis, secundo inducitur Octauia & chorus alternatim plangentes has nuptias, ibi: Parcite lachrymis, tertio inducitur Nutrix sollicite inquirens de somnio quod apparuit Poppeæ in his nuptijs, ibi: Quo trepida. Quarto inducitur chorus commendans pulchritudinem Poppeæ, ibi: Si uera.

Scribitur autem prima pars metro archilo ico. Primo ergo inducitur mater Neronis has nuptias Poppeæ detestans, Vnde dicit mater Neronis: Extuli.

Trimetri Iambici.

AGRIPPINA.

Tellure rupta tartaro gressum extuli,
Stygiam cruenta præferens dextra facem
Thalamis scelestis: nubat hijs flammis meo
*quam Poppea nato iuncta, * quas uindex manus,*
Dolorq́; matris uertet ad tristes rogos.
Manet inter umbras impiæ cædis mihi
Semper memoria, manibus nostris grauis
Adhuc inultis, reddita & meritis meis
Functa merces puppis, & pretium imperi.
Nox illa, qua naufragia defleui mea,
Comitum necem, natiq́; crudelis nefas
Deflere uotum fuerat, haud tempus datum est
Lachrymis, sed ingens scelera geminauit nefas.
Perempta ferro, fœda uulneribus, sacros
Intra penates spiritum effudi grauem
Erepta pelago, sanguine extinxi meo
Nec odia nati, sæuit in nomen ferus
Matris tyrannus, obrui meritum cupit.

Simulachra

Simulachra, titulos destruit mortis metu
Totum per orbem, quem dedit pœnam in meam
Puero regendum noster infelix amor.
Extinctus umbras agitat infestus meas,
Flammisq; uultus noxios coniunx petit,
Instat, minatur, imputat fatum mihi,
Tumulumq; nati poscit autorem necis.
Iam, parce, dabitur, tempus haud longum peto.
Vltrix Erinnys impio dignum parat
Letum tyranno: uerbera, & turpem fugam,
Pœnasq;, queis & Tantali uincat sitim,
Dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem,
Ixionisq; membra rapientem rotam.
Licet extruat marmoribus, atq; auro tegat
Superbus aulam, limen armatæ ducis
Seruent cohortes, mittat immensas opes
Exhaustus orbis, supplices dextram petant
Parthi cruentam, regna diuitias ferant,
Veniet dies, tempusq;, quo reddat suis
Animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus,
Desertus, & destructus, & cunctis egens.
Heu quò labor, quò uota ceciderunt mea?
Quò te furor prouexit attonitum tuus,
Et fata nate? cedat ut tantis malis
Genitricis ira, quæ tuo scelere occidit?

219

Vtinam ante quàm te paruulum in lucem edidi,
Aluiq́;, sæue nostra lacerassent feræ
Viscera: sine ullo scelere, sine sensu innocens
Meus occidisses, iunctus, atq; hærens mihi,
Semper quietam cerneres sedem inferûm,
Proauos, patremq́;, nominis magni uiros.
Quos nunc pudor, luctusq́; perpetuus manet
Ex te nefande, meq́;, quæ talem tuli.
Quid tegere cesso tartaro uultus meos
Nouerca, coniunx, mater infelix meis?

OCTAVIA. CHORVS.

Anapæstici.

PArcite lachrymis urbis festo
Lætoq́; die, ne tantus amor
Nostriq́; fauor, principis acres
Suscitet iras, uobisq́; ego sim
Causa malorum: non hoc primum
Pectora uulnus mea senserunt
Grauiora tuli, dabit hic nostris
Finem curis uel morte dies.
Non ego sæui cernere cogar
Coniugis ora.
Non inuisos intrare mihi
Thalamos famulæ:

Soror

Soror Augusti, non uxor, ero.
Absint tantum tristes pœnæ,
Lætiq́; metus.
Socerum diri miseranda uiri
Potes hæc demens sperare memor?
Hos ad thalamos seruata diu
Victima tandem funesta cades?
Sed quid patrios sæpe penates
Respicis udis confusa genis?
Propera tectis efferre gradus,
Linque cruentam principis aulam.
En illuxit suspecta diu
Fama toties iactata dies.
Cessit thalamis Claudia diri
Pulsa Neronis, quos iam uictrix
Poppea tenet, cessat pietas,
Dum nostra graui compressa metu,
Segnisq́; dolor: ubi Romani
Vis est populi? fregit claros
Quæ sæpe duces, dedit inuictæ
Leges patriæ, fasces dignis
Ciuibus olim: iussit bellum,
Pacemq́;, feras gentes domuit,
Captos reges carcere clausit?
Grauis en oculis undiq́; nostris

Iam Poppeæ fulget imago
Iuncta Neroni.
Affigat humo uiolenta manus
Similes nimium uultus dominæ,
Ipsamq; toris detrahat altis.
Petat infelix mox & flammis
Telisq; feris principis aulam.

ACTVS QVARTVS.

In hac parte, quartus actus huius tragœdiæ, quæ scribitur metro archiloico, inducuntur Nutrix & Poppea sollicite de quodam somnio quod apparuit Poppeæ, & primo inducitur Nutrix consolans Poppeam flentem & dolētem, propter quoddam somniū quod ei apparuerat: & deinde agitur de seditione populi cōtra Neronem pro Octauia, & primo de furore populi Octauiam repudiari uolentis, secundo de ira principis in populum deseuientis, ibi: O lenta. Hic locus diuiditur in duas partes, nempe primum hæc seditio nunciatur, secūdo chorus populo facienti seditionē uindicta principis cōminatur, ibi: Quid fera. Quantum ad primū inducit Nuntius milites principis de seditione populi prenūcians: Et dicens. Quicunq;.

Trimetri

Trimetri Iambici.

NVTRIX. POPPEA.

QVò trepida gressum coniugis thalamis tui
Effers alumna? quodúe secretum petis
Turbata uultu? cur genæ fletu madent?
Certe petitus precibus, & uotis dies
Nostris refulsit: Cæsari iuncta es tuo
Teda iugali, quem tuus cepit decor
Et culpa Senecæ, tradidit uinctum tibi
Genitrix amoris, maximum numen Venus.
O qualis, altos quanta pressisti toros
Residens in aula: uidit attonitus tuam
Formam senatus, thura cum superis dares.
Sacrasq; grato spargeres aras mero,
Velata summum flammeo tenuit caput.
Et ipse lateri iunctus atq; hærens tuo
Sublimis inter ciuium læta omina
Incessit, habitu, atq; ore lætitiam gerens
Princeps superbo: talis emersam freto
Spumante Peleus coniugem accepit Thetin,
Quorum toros celebrasse cœlestes ferunt,
Pelagiq; numen omne consensu pari.
Quæ subita uultus causa mutauit tuos?
Quid pallor iste, quid ferant lachrymæ doce.

POP. Confusa tristi proximæ noctis metu,
Visu'q; nutrix mente turbata feror,
Defecta sensu: læta nam postquam dies
Syderibus atris cessit, & nocti polus,
Inter Neronis iuncta complexus mei
Somno resoluor, nec diu placida frui
Quiete licuit: uisa nam thalamos meos
Celebrare turba est mœsta, resolutis comis
Matres Latinæ flebiles planctus dabant,
Inter tubarum sæpe terribilem sonum
Sparsa cruore coniugis genitrix mei
Vultu minaci sæua quatiebat facem.
Quam dum sequor coacta præsenti metu,
Diducta subito patuit ingenti mihi
Tellus hiatu lata, quo præceps toros
Cerno iugales pariter, & miror meos,
In queis resedi fessa: uenientem intuor
Comitante turba coniugem quondam meum,
Natum'q;, properat petere complexus meos
* Pristinos * Crispinus, & intermissa libare oscula.
Irrupit intra tecta, tum trepidus mea
Ensem'q; iugulo condidit sæuum Nero.
Tandem quietem magnus excussit timor,
Quatit ora, & artus horridus nostros tremor,
Pulsat'q; pectus, continet uocem timor,

Quam

Quam nunc fides, pietasq́; produxit tua.
Heu quid minantur inferûm manes mihi?
Aut quem cruorem coniugis uidi mei?
NVT. Quæcunq; mentis agitat infestus uigor,
Ea per quietem sacer, & arcanus refert
Veloxq́; sensus, coniugem, thalamos, rogos,
Vidisse te miraris amplexu noui
Hærens mariti: sed mouent læto die
Pulsata palmis pectora, & fusæ comæ
Octauiæ dißidia planxerunt sacros
I[illegible] penates fratris, & patrium larem.
[illegible]ax illa, quam secuta es Augustæ manu,
Prælata clarum nomen inuidia tibi
Partum ominatur: inferum sedes, toros
Stabiles futuros spondet æternæ domus,
Iugulo quod ensem condidit princeps tuus,
Bella haud mouebit, pace sed ferrum teget.
Recollige animum, recipe lætitiam, precor:
Timore pulso, redde te thalamis tuis.
POP. Delubra, & aras petere constitui sacras,
Cæsis litare uictimis numen deûm,
Vt expientur noctis, & somni minæ,
Terrorq́; in hostes redeat attonitus meos:
Et uota pro me suscipe, & precibus pijs
Superos adora, manet ut præsens metus.

CHORVS

222

CHORVS.

Anapæstici.

SI uera loquax fama tonantis
Furta, & gratos narrat amores,
Quem modo Ledæ preßisse sinum
Tectum plumis, pinnisq; ferunt,
Modo per fluctus raptam Europen
Taurum tergo portasse trucem,
Quæ regit & nunc deseret astra,
Petet amplexus Poppea tuos.
Quos & Ledæ præferre potest:
Et tibi quondam, cui miranti
Fuluo Danaë fluxit in auro:
Formam Sparte iactet alumnæ
Licet & Phrygius præmia pastor,
Vincet uultus hæc Tyndaridos,
Qui mouerunt horrida bella,
Phrygiæq; solo regna dedere.
Sed quis gressu ruit attonito?
Aut quid pectore portat anhelo?

NVNTIVS. CHORVS.

Trimetri Iambici.

QVicunq; tectis miles exultat ducis,
Defendat aulam, cui furor populi imminet,

Trepidi cohortes ecce præfecti trahunt
Præsidia ad urbis uicta, nec cedit metu
Concepta rabies temere, sed uires capit.
CHO. Quis iste mentes agitat attonitus furor?
NVN. Octauiæ furore perculsa agmina,
Et efferata per nefas ingens ruunt.
CHO. Quid ausa facere, quoúe consilio doce.
NVN. Reddere penates Claudiæ diui parant,
Torosq́; fratris, debitam partem imperij.
CHO. Quos iam tenet Poppea concordi fide?
NVN. Hic urit animos pertinax nimium furor,
Et in furorem temere præcipites agit.
Quæcunq; claro marmore effigies stetit,
Aut ara fulgens æra Poppeæ gerens,
Afflicta uulgi manibus, & sæuo iacet
Euersa ferro, membra per partes trahunt
Diducta laqueis, obruunt turpi diu
Calcata cœno, uerba conueniunt feris
Immista factis, quæ timor recipit meus:
Sepire flammis principis sedem parant
Populi, nisi iræ coniugem reddat nouam,
Reddat penates Claudiæ uictus suos.
Vt noscat ipse ciuium motus, mea
Voce, haud morabor iussa præfecti exequi.
CHO. Quid fera frustra bella mouetis?

Inuicta

Inuicta gerit tela Cupido,
Flammis uestros obruet ignes:
Queis extinxit fulmina sæpe,
Captumq́; Iouem cœlo traxit.
Læsi tristes dabitis pœnas
Sanguine uestro.
Non est patiens feruidus iræ
Facilisq́; regi: ille ferocem
Iussit Achillem pulsare lyram:
Fregit Danaos, fregit Atridem:
Regna euertit Priami, claras
Diruit urbes.
Et nunc animus quid ferat horret
Vis immitis uiolenta dei.

NERO.

Trimetri Iambici.

O Lenta nimium militis nostri manus,
Et ira patiens post nefas tantum mea.
Quod non cruor ciuilis accensas faces
Extinguit in nos, cæde nec populi madet
Funerea Roma, quæ uiros tales tulit.
Admissa sed iam morte puniri parum est,
Grauiora meruit impium plebis scelus,
Et illa, cui me ciuium subiecit furor,

Suspecta

Suſpecta coniunx & ſoror ſemper mihi.
Tandem dolori ſpiritum reddat meo,
Iramq́; noſtram ſanguine extinguat ſuo:
Mox tecta flammis concidant urbis meis,
Ignes, ruinæ, noxium populum premant,
Turpisq́; egeſtas, ſæua cum luctu fames.
Exultat ingens ſeculi noſtri bonis
Corrupta turba: nec capit clementiam
Ingrata noſtram, ferre nec pacem poteſt,
Sed inquieta rapitur, hinc audacia,
H[illegible] ...meritate fertur in præceps ſua.
Malis domanda eſt, & graui ſemper iugo
Premenda, nequid ſimile tentare audeat,
Contráq; ſanctos coniugis uultus meæ
Attollere oculos: fracta per pœnas metu
Parere diſcet principis nutu ſui.
Sed adeſſe cerno, rara quem pietas uirum
Fidesq́; caſtris nota præpoſuit meis.

PRAEFECTVS. NERO.

Trimetri Iambici.

Populi furorem cæde paucorum, diu
Qui reſtiterunt, temere compreſſum affero.
NE. Et hoc ſat eſt? ſic miles audiſti ducem?
Compeſcis, hæc uindicta debetur mihi?

PR. Cæci

PR. Cecidere motus impio ferro ducens.
NE. Quid illa turba, petere quæ flammis meos
Ausa est penates, principi legem dare,
Abstrahere nostris coniugem caram toris,
Violare quantum licuit, incesta manu
Et uoce dira, debita pœna uacat?
PR. Pœnam dolor constituet in ciues tuos?
NE. Constituet, ætas nulla quam famæ eximat.
PR. Quam temperet non ira, non noster timor?
NE. Iram expiabit, prima quæ meruit meam.
PR. Quam poscat ede, nostra ne parcat manus.
NE. Cædem sororis poscit. & dirum caput.
PR. Horrore uictum trepidus astrinxit rigor.
NE. Parere dubitas? PRAE. Cur meam damnas fidem?
NE. Quod parcis hosti. PR. Fœmina hoc nomen capit?
NE. Si scelera cepit? PR. Est ne qui sontem arguat?
NE. Populi furor. PR. Quis regere dementes ualet?
NE. Quis concitare potuit? PR. Haud quenquam reor.
NE. Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus instruxit dolis.
Sed uim negauit, ut ne inexpugnabilis
Esset, sed ægras frangeret uires timor,
Vel pœna, quæ tam sera damnatam premit
Diu nocentem: tolle consilium, ac preces,
Et imperata perage: deuectam rate

Procul

Procul in remotum littus interim iube,
Tandem ut residat pectoris nostri tumor.

CHORVS. OCTAVIA.

Anapæstici.

O Funestus multis populi
Dirusq́; fauor, qui cum flatu
Vela secundo rateis impleuit,
Vexitq́; procul, languidus idem
Des[illegible]t alto, sæuoq́; mari.
[illegible]ut gnatos mi[illegible]randa parens,
[illegible]erdidit ingens quos plebis amor,
Nimiusq́; fauor, genere illustres,
Pietate, fide, lingua claros,
Pectore fortes, legibus acres.
Te quoq; lenis simili leto
Fortuna dedit, quem neq; fasces
Texere tui, nec tecta domus.
Plura referre probibet præsens
Exempla dolor: modo cui patriam
Reddere ciues aulam, & fratris
Voluere toros, nunc ad pœnam
Letumq́; trahi, flentem miseram
Cernere poßis: bene paupertas
Humili tecto contenta latet.

Quatiunt altas ſæpe procellæ,
Aut euertit fortuna domos.
OC. Quo me trahitis? quodúe tyrannus
Aut exilium fortuna iubet?
Si mihi uitam fracta remittit
Tot iam noſtris euicta malis,
Si cæde mea cumulare parat
Luctos noſtros, inuidet etiam
Cur in patria mihi ſæua mori?
Sed iam ſpes eſt nulla ſalutis,
Fratris cerno miſeranda ratem.
Hæc eſt cuius uecta carina
Quondam genitrix, nunc & thalamis
Expulſa ſoror miſeranda uehar.
Nullum pietas nunc numen habet,
Nec ſunt ſuperi: regnat mundo
Triſtis Erinnys.
Quis mea digne deſlere poteſt
Mala? quæ lachrymis noſtris queſtus
Reddet Aëdon? cuius pinnas
Vtinam miſeræ mihi fata darent:
Fugerem luctus ablata meos
Penna uolucri, procul & cœtus
Hominum triſtes, cædemq́; feram.
Sola in uacuo nemore, & tenui

Ramo pendens querulo possem
Gutture mœstum fundere murmur.
CH. Regitur fatis mortale genus,
Nec sibi quicquam spondere potest
Firmum & stabile, perquam casus
Voluit uarios semper nobis
Metuenda dies: animum firment
Exempla tuum iam multa, domus
Quæ uestra tulit: quid sæuior est
Fortuna tibi? tu mihi primum
Tot natorum memoranda parens
Nata Agrippæ, nurus Augusti
Cæsaris uxor, cuius nomen
Clarum toto fulsit in orbe.
Vtero toties enixa graui
Pignora pacis mox exilium,
Verbera, sæuas passa catenas,
Funera, luctus, tandem letum
Cruciata diu, felix thalamis
Liuia Drusi, natisq; ferum
Ruit in facinus, pœnamq; suam.
Iulia matris fata secuta est,
Post longa tamen tempora ferro
Cæsa est, quamuis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix

Tua, quæ rexit principis aulam
Cara marito, partuq; potens?
Eadem famulo subiecta suo,
Cecidit diri militis ense.
Quid cui licuit regnum in cœlum
Sperare: parens tanta Neronis?
* Num * Non funesta uiolata manu
Remigis ante mox & ferro
Lacerata diu, sæui iacuit
Victima nati?
OC. Me quoq; tristes mittet ad umbras
Ferus, & manes ecce tyrannus.
Quid iam frustra miseranda moror?
Rapite ad letum, queis ius in nos
Fortuna dedit, testor superos.
Quid agis demens? parce precari,
Queis inuisa es, numina diuûm.
Tartara testor, Erebiq; deas
Scelerum ultrices, & te genitor
Dignum tali morte, & pœna:
Non inuisa est mors ista mihi.
Armate ratem, date uela fretis,
Ventisq;, petat puppis rector
Tandem Phariæ littora terræ.
CH. Lenes auræ, Zephyriq; leues

Tectam quondam nube æthéria
Qui uexistis raptam sæuæ
Virginis aris Iphigeniam,
Hanc quoq; tristi procul à pœna
Portate, precor, templa ad Triuiæ.
Vrbe est nostra mitior Aulis.
Et Maurorum barbara tellus.
Hospitis illic cæde litatur
Numen superûm, cuius gaudet
R[illegible]a cruore.

TRAGOEDIAE INTERLOCVTORES.

Hercules.
Chorus mulierum.
Ioles.
Nutrix.
Hyllus.
Alcmena.
Philoctetes.
Deianira.

TRAGOEDIA DECIMA, QVAE INSCRIBITVR HERCVLES OETHEVS.

ACTVS PRIMVS.

Argumentum in Tragœdiam ultimam.

Vltima tragœdia est Hercules Oetheus, sic dictus à sylua in qua mortuus est. Et p argumento præmittendum est, quod Eurythus rex Oechaliæ filiã habuit Iolam, quam Hercules adamauit, & à patre eam petijt, quo denegante eam terras eius inuasit ac ipsum occidit, & Iolam secum abduxit & plusquam uxorem propriam Deianiram dilexit. Quod cum audisset Deianira misit Herculi pallam quandam tinctam sanguine Nessi cẽtauri quem Hercules sagittis uulnerauit toxicatis, quam Nessus Deianiræ dedit dicens: si unquam ab amore tuo Hercules discederet hanc sibi mitte pallam, ac ad te subito reuertetur. Missa est hæc, Hercules indutus ipsa, statim correptus est pelle ueneni ita ut carnes ab eius ossibus euellerentur

lerentur, & pallea exui nisi cum totius cutis laceratione non poterat. Vnde nimio dolore agitatus interfecit Lycam quæ pallium attulit. Et fabulose dicitur quod ipsum iactauit in mare & in saxum conuersus est. Interea Deianira audito hoc dolore se interemit. Hercules autem datis arcu & sagittis Philocteti amico suo & armigero in pyra constituto in sylua Yda o . cumbens mortuus est, & in cœlum dicitur translatus.

● *Trimetri Iambici.*

HERCVLES.



Ator deorum, cuius excussum manu
Vtræq; Phœbi sentiunt fulmen domus,
Secure regna: protulit pacem tibi,
Quacunq; Nereus porri terras uetat.
Non est tonandum, perfidi reges iacent,
Sæui tyranni: fregimus quicquid fuit
Tibi fulminandum: sed mihi cœlum parens
Adhuc negatur: parui certe Ioue
Vbiq; dignus: teq; testata est meum
Patrem nouerca, quid tamen nectis moras?

Nunquid timemur? nunquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum cœlo Herculem?
Quid astra genitor, quid negas? mors me tibi
Certe remisit, omne cum cesset malum,
Quod terra genuit, pontus, aër, inferi.
Nullus per urbes errat Arcadias Leo.
Stymphalis icta est: Mænali nulla est fera.
Sparsit peremptus aureum serpens nemus.
Et Hydra uires posuit, & notos Hebro
Cruore pingues hospitum fudi greges.
Hostisq́; traxi spolia Thermodontiæ.
Vidi silentum fata: nec tamen redij,
Sed trepidus atrum Cerberum uidit dies,
Et ille solem: nullus Antæus Libys
Animam resumit: cecidit ante aras suas
Busiris: una est Geryon sparsus manu.
Taurusq́; populis horridus centum pauor.
Quodcunq; tellus genuit infestum occidit,
Meaq́; fusum dextra iratis deis
Non licuit esse: sic negat mundus feras,
Animum nouercæ: redde nunc nato patrem,
Vel astra forti: nec peto, ut monstres iter:
Permitte tantum genitor, inueniam uiam.
Vel si times ne terra concipiat feras,
Properet malum quodcunq;, dum terra Herculem

Habet, uidetq́; nam quis inuadet mala?
Aut quis per urbes rursus Argolicas erit
Iunonis odio dignus? in tutum meas
Laudes recepi: nulla me tellus silet.
Me sensit Vrsæ frigidum Scythicæ genus,
Indusq; Phœbo subditus, Cancro Libys.
Te clare Titan testor, occurri tibi
Quacunq; fulges, nec meos lux prosequi
Potuit triumphos, solis excessi uices,
Infraq́; nostras substitit metas dies.
...ra cessit, terra defecit gradum.
...xata per me nox, & extremum chaos
...n me cucurrit, inde adhunc orbem redij,
Vnde retro nemo: tulimus oceani minas,
Nec ulla ualuit quatere tempestas ratem
Quancunq; pressi: pars quota est, quam prosequor?
Iam uacuus æther non potest odio tuæ
Sufficere nuptæ, quasq; deuincam feras
Tellus timet concipere, nec monstra inuenit,
Ferre negantur, Hercules monstri loco
Iam cœpit esse: quanta nunc fregi mala,
Quot scelera nudus? quicquid immane obstitit,
Solæ manus strauere, nec iuuenis feras
Timui, nec infans: quicquid est iussum, leue est.
Nec ulla nobis segnis illuxit dies.

229

O quanta fudi monstra, quae nullus mihi
Rex imperauit: institit uirtus mihi
Iunone peior: sed quid inpauidum genus
Fecisse prodest? non habent pacem dei.
Purgata tellus omnis in coelo uidet
Quodcunq; timuit, transtulit Iuno feras.
Ambit peremptus Cancer ardentem plagam,
Libyaeq; sydus fertur, & messes alit.
Annum fugatae tradit Astreae Leo.
* coelo At ille iactans feruidam * collo iubam
Austrum madentem siccat, & nimbos trahit.
Inuasit omnis ecce iam coelum fera,
Meq; antecessit: uictor è terris meos
Specto labores: astra portentis prius
Ferisq; Iuno tribuit, ut coelum mihi
Faciat timendum: sparserit mundum licet,
Coelumq; terris peius, ac peius Styge
Irata faciat, dabitur Alcidae locus:
Si post feras, post bella, post Stygium Canem
Nondum astra merui, Siculus Hesperium latus
Tangat Pelorus, ut una iam tellus erat,
Illinc fugabo maria, si iungi iubes:
Committat undas Isthmos, & iuncto salo
Noua ferantur Atticae puppes uia.
Mutetur orbis: uallibus currat nouis

Ister, nouasq; Tanais accipiat uias,

Da da tuendos Iuppiter saltem deos,

Illa licebit fulmen à parte auferas,

Ego quam tuebor, siue glacialem polum,

Seu me tueri feruidam partem iubes,

Hac esse superos parte securos puta.

Cirrhæa Pæan templa, & ætheriam domum

Serpente cæso meruit: at quoties iacet

Python in Hydra? Bacchus, & Perseus deis

I[illegible]e intulere: sed quota est mundi plaga

[illegible]riens subactus? aut quota est Gorgon fera?

Quis astra natus laudibus meruit suis.

Ex te, & nouerca? quem tuli mundum peto.

Sed tu comes laboris Herculei Lyca

Præfer triumphos, Euryti uictos lares,

Stratumq; regnum: uos pecus rapite ocyus,

Qua templa tollens ara Cænæi Iouis,

Astro timendum spectat Euboicum mare.

CHORVS.

Ascepiadei.

PAr ille est superis, cui pariter dies

Et fortuna fuit: mortis habet uices,

Lente cum trahitur * uita gementibus. *pœna

Quisquis sub pedibus fata rapacia

Et puppem

Et puppem posuit liminis ultimi,
Non captiua dabit brachia uinculis,
Nec pompæ ueniet nobile ferculum:
Nunquam est ille miser, cui facile est mori.
Illum si medio decipiat ratis
Ponto, cum Borean expulit Africus,
Aut Eurus Zephyrum, cum mare diuidunt,
Non puppis laceræ fragmina colligit,
Vt littus medio speret in æquore.
Vitam qui poterit reddere protinus,
Solus naufragium non poterit pati.
Nos turpis macies, & lachrymæ tenent,
Et crinis patrio puluere sordidus.
Nos non flamma rapax, non fragor obruit.
Felices sequeris mors, miseros fugis.
Stamus nec patriæ mœnibus, heu locus
Et syluis dabitur, lapsaq; sordidæ
Fient templa casæ: iam gelidus Dolos
Hac ducet pecudes, quà tepet obrutus
Stratæ qui superest Oecaliæ cinis:
Illo Thessalicus pastor in oppido
Indocta referens carmina fistula,
Cantu nostra canet tempora flebili.
Et dum pauca deus secula contrahit,
Quæretur patriæ quis fuerit locus.

Felix

Felix incolui non steriles locos,
Nec ieiuna soli iugera Thessali,
Ad Trachyna uocor saxa rigentia,
Et dumeta iugis horrida torridis.
Vix gratum pecori montiuago nemus.
At siquas melior sors famulas uocat,
Illas aut uolucer transferet Inachus,
Aut Dircea colent mœnia, quà * fugit — * fluit
Ismenos tenui flumine languidus.
Hic mater tumidi nupserat Herculis,
Qu[illegible]tes Scythiæ, quis genuit lapis?
N[illegible] Titana ferum te Rhodope tulit?
[illegible] præruptus Athos, te fera Caspia
Quæ uirgata tibi præbuit ubera.
Falsa est de geminis fabula noctibus,
Aether cum tenuit sydera longius,
Commisitq; uices lucifer hespero,
Et soles uetuit Delia tardior,
Nullis uulneribus peruia monstra sunt.
Ferrum sensit Hebes, lentior est Chalybs,
In nudo gladius corpore frangitur,
Et saxum resilit, fataq; negligit,
Et mortem indomito corpore prouocat.
Non illum poterunt figere cuspides,
Non arcus Scythica tensus arundine,

Non

Non quæ tela gerit Sarmata frigidus,
Aut qui soliferæ suppositus plagæ
Vicino Nabathæ uulnera dirigit.
Parthus Cnosiacis certior ictibus,
Muros Oechaliæ corpore propulit.
Nil obstare ualet: uincere quod parat,
Iam uictum est, quota pars uulnere concidit?
Pro fato potuit uultus iniquior,
Et uicisse sat est Herculeis minis
Qui uastus Briareus, qui tumidus Gyges
Supra Thessalicos constitit aggeres,
Vt cœlo insereret uipereas manus,
Hoc uultu riguit: commoda cladibus
Magnis magna patent, nil superest mali?
Iratum miseræ uidimus Herculem.

IOLE.

Anapæstici.

AT ego infelix non templa suis
Collapsa deis, sparsosue focos,
Natis mistos arsisse patres,
Hominiq; deos, templa sepulchris.
Nullum querimur commune malum.
Aliò nostras fortuna uocat
Lachrymas: alias flere ruinas

Mea

Mea fata iubent: quæ prima querar?
Quæ ſumma gemam? pariter cuncta
Deflere iuuat: nec plura dedit
Pectora tellus, ut digna ſonent
Verbera planctu: me uel Sypili
Flebile ſaxum figat: ſuperi
Vel in Eridani ponite ripis,
Vbi mœſta ſonat Phaëtontiadum
Turba ſororum: me uel Siculis
Addite ſaxis, ubi fata gemit
Th[illegible]a Syron: uel in Edonias
[illegible]ate ſyluas: qua[illegible]s natum
[illegible]ulias ales ſolet Iſmaria
Flere ſub umbra, formam lachrymis
Aptate meis, reſonetq; malis
Aſpera Trachyn: Cyprias lachrymas
Myrrha tuetur, raptum coniunx
Ceica gemit: ſibi Tantalis eſt
Facta ſuperſtes: fugit uultus
Philomela ſuos, natumq; ſonat
Flebilis Itym: cur mea nondum
Capiunt uolucres brachia plumas?
Felix felix cum ſylua domus
Noſtra feretur, patrioq; ſedens
Ales in agro referam querulo

Murmure

Murmure questus, uolucremq́; Iolen
Turba loquetur: uidi uidi
Miseranda mei fata parentis:
Cum letifero stipite pulsus,
Tota iacuit sparsus in aula.
Prò si tumulum fata dedissent,
Quoties genitor quærendus eras?
Potui ne tuam spectare necem?
Nondum teneras uestite genas.
Nec dum fortis sanguine Thoxeus?
Quid uestra querar fata parentes,
Quos in tutum mors æqua tulit?
Mea me lachrymas fortuna rogat:
Iam iam dominæ captiua colos, fusosq́; legam.
Prò sæpe dolor, formaq́; mortem paritura mihi.
Tibi cuncta domus concidit uni,
Dum me genitor negat Alcidæ
Atq; Herculeus socer esse timet.
Sed iam dominæ tecta petantur.

CHORVS.

Anapæstici.

QVid regna tui clara parentis,
Proauosq́; tuos respicis amens?
Fugiat uultus fortuna prior.

Patiens

Patiens quisquis nouit famulum,
**Regemq́; pati, uires pepulit*
Pondus mali, casus animo
Qui tulit æquo.

*Regemq́; pati, uultusq́; suos Variare potest, uires &c.

ACTVS SECVNDVS.

Trimetri Iambici.

NVTRIX. DEIANIRA.

O Quàm cruentus fœminas stimulat dolor,
Cum patuit una pellici, & nuptæ domus.
Scylla, & Charybdis Sicula cōtorquens freta
Minus est timenda: nulla non melior fera est.
Nanq; ut reluxit pellicis captæ decus,
Et fulsit Iole, qualis innubis dies,
Purumúe claris noctibus sydus micat,
Stetit furenti similis, ac toruum intuens
Herculea coniunx: fœta ut armento iacens
Sub rupe Tigris hoste conspecto exilit.
Aut iussa thyrsum quatere, conceptum ferens
Mænas Lyæum, dubia quò gressus agat.
Hæsit parumper, tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur, tota uix satis est domus:
Incurrit, errat, sistit, in uultus dolor
Processit omnis, pectori penè intimo

233

Nihil est relictum, fletus insequitur genas,
Nec unus habitus durat, aut uno furit
Contenta uultu: nunc inardescunt genae,
Pallor ruborem pellit, & formas dolor
Errat per omnes: queritur, implorat, gemit.
Sonuere postes: ecce praecipiti gradu
Secreta mentis ore confuso exerit.
DE. Quamcunq; partem sedis aetheriae premis
Coniunx tonantis, mitte in Alcidem feram
Quae mihi satis sit: siqua foecundum caput
Palude tota uastior serpens mouet
Ignara uinci: si quid excessit feras
Immane, dirum, horribile, quo uiso Hercules
Auertat oculos, hoc specu immenso exeat:
Vel si ferae negantur, hanc animam, precor,
Conuerte in aliquod, quodlibet possit malum
Hac mente fieri: commoda effigiem mihi
Parem dolori, non capit pectus minas.
Quid excutis telluris extremae sinus?
Orbemq; uersas? quid rogas Ditem mala?
Omnes in isto pectore inuenias feras:
Quas timeat, odijs accipe hoc telum tuis,
Ego sum nouerca, perdere Alciden potes,
* Profer * Perfer manus quocunq;, quid cessas dea?
Vtere furente: quod iubes, fiet nefas.

Reperi

Reperi, quid hæres? ipsa iam cesses licet,
Hæc ira satis est. NVT. Pectoris sani parum
Alumna questus comprime, & flammas doma.
Frena dolorem, coniugem ostende Herculis.
DE. Iole meis captiua germanos dabit
Natis, Iouisq; fiet ex famula nurus?
Non, flamma cursus pariter, & torrens feret?
Vt Vrsa pontum sicca cœruleum bibet.
Non ibo inulta, gesseris cœlum licet,
Totusq; pacem debeat mundus tibi,
[illegible]t aliquid Hydra peius iratæ dolor
Nuptæ, quis ignis tantus in cœlum furit
Ardentis Aetnæ? quicquid est uictum tibi
Hic uincet animus, capta præripiet toros?
Adhuc timebam monstra, iam nullum est malum.
Cessere pestes, in locum uenit feræ
Inuisa pellex: summe protector deûm
Et clare Titan, Herculis tantum fui
Coniunx timentis uota quæ superis tuli,
Cessere, captæ pellici, felix fui.
Illi meas audistis ô superi preces,
Incolumis illi remeat, ô nulla dolor
Contente pœna, quære supplicia horrida,
Incogitata, infanda, Iunonem doce,
Quid odia ualeant, nescit irasci satis.

234

Pro me gerebas bella, propter me uagas
Achelous undas sanguine infecit suo,
Cum lenta serpens fieret in taurum trucem,
Nunc flecteret serpente deposita minas,
Et mille in hoste uinceres uno feras.
Iam displicemus: capta prælata est mihi.
Non præferetur: qui dies thalami ultimus
Nostri est futurus, hic erit uitæ tuæ.
Quid hoc? recedit animus, & ponit minas.
Iam cessit ira, quid miser langues dolor?
Perdis furorem? coniugis sanctæ fidem
Mihi reddis iterum, quid uetas flammas alu?
Quid frangis ignes? hunc mihi serua impetum.
Pares eramus, non erit uotis opus.
Aderit nouerca, quæ manus nostras regat,
Nec inuocata. NV. Quod paras demens scelus?
Perimes maritum? cuius extremus dies
Primusq; laudes nouit, & cœlo tenus
Erecta terras fama suppositas habet?
Rogos in istos terra consurget parens,
Domusq; soceri prima, & Aetolum genus
Sternetur omne: nam tuum gens Herculem
Defendit omnis, una quod pœnas dabis?
Effugere terras crede, & humanum genus
Te posse, fulmen genitor Alcidæ gerit.

Iam

Iam iam minaces ire per cœlum faces
Specta, & tonantem fulmine excusso diem.
Mortem quoq; ipsam, quam putas tutam, time.
Dominatur illic patruus Alcidæ tui.
Quocunq; pergis misera, cognatos deos
Illic uidebis. DE. Maximum fieri scelus
Et ipsa fateor, sed dolor fieri iubet.
NVT. Moriere. DE. Moriar Herculis nempe inclyti
Coniunx, nec ullus nocte discussa dies
Viduam notabit, nec meos pellex toros
Captiua capiet: ante ab occasu dies
Nascetur Indis: ante glacialem polum,
Scythasue tepida Phœbus afficiet rota,
Quàm me relictam Thessalæ aspiciant nurus.
Meo iugales sanguine extinguam faces.
Aut pereat, aut me perimat, elisis feris
Et coniugem addat, inter Herculeos licet
Me quoq; labores numeret: Alcidæ toros
Moritura certe corpore amplectar meo.
Ire, ire ad umbras Herculi * uictam libet, * nuptam
Sed non inultam: si quid ex nostro Hercule
Concepit Iole, manibus euellam meis.
Ante & per ipsas pellicem inuadam faces,
Me nuptiali, uictimam feriat die
Infestus, Iolen dum supra exanimem ruam.

Felix iacet, quicunq;, quos odit, premit.
*pastum NVT. Quid ipsa flammas pascis? & *uastum foues
Vltro dolorem misera? quid casum times?
Dilexit Iolen nempe: dum starent lares,
Regisq; natam peteret, in famulæ locum
Regina cecidit, perdidit uires amor,
Multumq; ab illo traxit infelix status.
Illicita amantur, excidit, quicquid licet.
DE. Fortuna amorem peior inflammat magis,
Amat uel ipsam, quod caret patrio lare,
Quod nudus auro crinis & gemma iacet.
Ipsas misericors forsan ærumnas amat.
NVT. Hoc usitatum est Herculi, captas amat.
Dilecta Priami nempe Dardanij soror
Concessa famulo est: adijce, quot nuptas prius,
Quot uirgines dilexit, errauit uagus.
Arcadia nempe uirgo, Palladios choros
Dum nectit, auge uim stupri passa excidit,
Nullamq; amoris retinet Herculei notam.
Referam quid alias? méne Thespiades uocant?
Breuiq; in illas arsit Alcides face.
Hospes Timoli Lydiam fouit nurum.
Et amore captus ad leues sedit colos
Vnum feroci stamen intorquens manu.
Nempe illa ceruix spolia deposuit feræ,

Crinemq;

Crinem'q; mitra preßit,& famulus stetit
Hirtam Sabæa marcidus Myrrha comam,
Vbiq; caluit, sed leui caluit face.
DE. Hærere amantes post uagos ignes solent.
NVT. Famulám ne,& hostis præferet natam tibi?
DE. Vt alta syluas forma uernantes alit,
Quas nemore nudo primus inuestit tepor.
Aut cum solutos expulit Boreas Notos,
Et sæua totas bruma decußit comas,
Deforme folijs aspicis truncis nemus.
Sic nostra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid semper,& fulget minus
Malis'q; minus est: quicquid in nobis fuit
Olim petitum cecidit,& partu labat,
Mater'q; multum rapuit ex illo mihi,
Aetas citato senior eripuit gradu.
Vides ut altum famula non perdat decus?
Cessere uultus penitus,& pædor sedet,
Tamen per ipsas fulget ærumnas decor,
Nihil'q; ab illa casus,& fatum graue,
Nisi regna traxit, hinc meum pectus timor
Altrix laceßit, hinc rapit somnos pauor.
Præclara * totis gentibus coniunx eram, * notis
Thalamos'q; nostros inuido fato nurus
Optabat omnis, quo nimis quisquis deos

236

Orabat ullos: nuribus Argolicis fui
Mensura uoti: quem Ioui socerum parem
Altrix habebo? quis sub hoc mundo mihi
Dabitur maritus? ipse qui Alcidæ imperat,
Facibus suis me iungat Euristheus licet,
Minus est, toros meruisse regnantis leue est.
Alte illa cecidit, quæ uiro caret Hercule.
N. T. Conciliat animos coniugum partus ferè.
DE. Sic ipse forsan diuidet partus toros.
NVT. Famula illa trahitur interim donum tibi.
DE. Hic quem per urbes ire præclarum uides,
Et uiua tergo spolia gestantem feræ,
Qui regna miseris donat, & celsis rapit,
Vasta grauatus horridam claua manum,
Cuius triumphos ultimi Seres canunt,
Et quisquis alius orbe consepto iacet.
Leuis est, nec illum glori e stimulat decor.
Errat per orbem, non ut æquetur Ioui.
Nec ut per urbes magnus Argolicas eat.
Quod amet requirit, uirginum thalamos petit.
Si qua est negata, rapitur, in populos furit.
Nuptas ruinis quærit, & uitium impotens
Virtus uocatur: cecidit Oechalia inclyta,
Vnusq; Titan uidit, atq; unus dies,
Stantem, & cadentem: causa bellandi est amor.

Toties timebit Herculi natam parens.
Quoties negabit: hostis est, quoties socer
Fieri recusat: si gener non est furit.
Post hæc quid istas innocens seruo manus?
Donec furentem * simulet, ac sæua manu
Intendat arcus, meq́;, natumq́; opprimat?
Sic coniuges expellit Alcides suas,
Hæc sunt repudia, nec potest fieri nocens?
Terris uideri sceleribus causam suis
Fecit nouercam, quid stupes segnis furor?
is occupandum est: perge, dum feruet manus.
VT. Perim maritũ? DE. Pellicis certe meæ.
NVT. At Ioue creatũ. DE. Nempe & Alcmena satũ.
NV. Ferró ne? DE. Ferro. N. Si nequis D. Perimã dolo.
NV. Quis iste furor est? DE. Quẽ meus coniunx docet.
NVT. Quem nec nouerca peremit, hunc perimes uirũ?
DE. Cœlestis ira, quos premit, miseros facit,
Humana nullos. NVT. Parce miseranda, & time.
Contempsit omnes ille, qui mortem prius.
DE. Libet ire in enses. NVT. Maior admisso tuus
Alumna dolor est, culpa par odium exigat.
Cur sæua modice statuis? ut passa es, dole.
DE. Leue esse credis pellicis nuptæ malum?
Quicquid dolorem pascit, id nimium puta.
NVT. Amór ne clari fugit Alcidæ tibi?

* ssimulet

 DE. Non

237

DE. Non fugit altrix, remanet, & penitus sedet
Fixus medullis, crede, sed magnus dolor
Iratus amor est. NVT. Artibus magicis ferè
Coniugia nuptæ precibus admistis ligant.
Vernare iußi frigore in medio nemus,
Missumq; fulmen stare, concußi fretum
Cessante uento, turbidum explicui mare.
Et sicca tellus fontibus patuit nouis.
Habuere motum saxa, discußi fores,
Vmbræ stetistis, & mea iußi prece
Manes loquuntur, sonuit infernus canis,
Mare, terra, cœlum, & tartarus seruit mihi.
Nox media solem uidit, & noctem dies.
Nihilq; leges ad meos cantus tenent.
Flectemus illum, carmina inuenient iter.
DE. Quas pontus herbas generat aut quas Thessala
Sub rupe Pindus, aut ubi inueniam malum,
Cui cedat ille, carmine in terras mago
Descendat astris luna desertis licet,
Et bruma messes uideat, & cantu fugax
Sit deprehensum fulmen, & uersa uice
Medius coactis fugerit stellis dies,
*uirum Non flectet *unum. NVT. Vicit & superos amor.
DE. Vincetur uni forsan, & spolium dabit,
Amorq; summus fiet Alcidæ labor.

Sed te

Sed te per omne cœlitum numen precor,
Per hunc timorem, quicquid arcani apparo
Penitus recondas, & fide tacita premas.
NVT. Quid istud est, quod esse secretum iubes?
DE. Non tela sunt, non arma, non ignis minæ.
NVT. Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat, interim scelus est fides.
DE. Circunspice, agedum, nequis arcana occupet,
Partemq; in omnem uultus inquirens eat.
NVT. En locus ab omni tutus arbitro uacat.
Est in remoto sedis egregiæ * loco * luco
cana tacitus-[illegible]stra defendens * specus, * locus
Non ille primos accipit soles locus,
Non ille seros, cum ferens Titan diem
Lassam rubenti mergit oceano rotam.
Illic amoris pignus Herculei latet:
Altrix fatebor, Nessus est autor mali,
Quem grauida nubes Thessalo genuit duci,
Qui celsus astris inserit Pindus caput.
Vltraq; nubes Othrys eductus riget.
Nanq; ut subactus Herculis claua horridi
Achelous, omnes facilis in species dari,
Tandem peractis omnibus patuit feris.
Vnoq; turpis subdidit cornu caput.
Me coniugem dum uictor Alcides habet,

Repetebat

Repetebat Argus, forte per campos uagus
Eneuus altum gurgitem in pontum ferens
Iam penè summis turbidus ripis erat,
Transire Nessus uorticem solitus uagum
Pretium poposcit: meq; iam dorso ferens,
Qua iungit hominem spina deficiens equo,
Frangebat ipsas fluminis tumidi minas.
Iam totis undis Nessus exierat ferox,
Medioq; adhuc errabat Alcides uado,
Vasto rapacem uorticem scindens gradu.
Ast ille ut esse uidit Alcidem procul,
Tu præda nobis, inquit, & coniunx eris.
Prohibetur undis, meq; complexam ferens
Gressum citabat, non tenent undæ Herculem:
Inuide uector, inquit, immisti licet
Ganges, & Ister uallibus iunctis eant,
Vincemus ambos, consequar telo fugam:
Præcessit arcus uerba: tum longum ferens
Arundo uulnus, tenuit hærentem fugam,
Mortemq; fixit: ille iam quærens diem,
Tabem fluentis uulneris dextra excipit,
Traditq; nobis ungula insertam sua,
Quam forte sæua sciderat auulsam manu.
Tum uerba moriens addit: hoc, inquit, magæ
Dixere amorem posse defigi malo.

Hoc docta

Hoc docta Mychale Thessalas monuit nurus,
Vnam inter omnes lunam quam sequitur magam
Astris relictis: illitas uestes dabis
Hac, inquit, ipsa tabe, si pellex tuos
Inuisa thalamos tulerit, & coniunx leuis
Aliam parenti dederit altisono nurum.
Hoc nulla lux conspiciat, hoc tenebræ tegant
Tantum remotæ, sic potens uires suas
Sanguis tenebit, uerba deprehendit quies:
Mortemq; laßis intulit membris sopor.
T[illegible] am meis admittit arcanis fides,
[illegible] ge, ut nitentes [illegible] rus in uestes satum,
[illegible] entem per artus adeat, & tactus sinus
Intret medullas. NVT. Ocyus iussa exequar
Alumna: precibus tu deum inuictum aduoca,
Qui certa tenera tela dimittit manu.
DE. Te te precor, quem mundus, & superi timent,
Et æquor, & qui fulmen ætn eum quatis,
Timende matri teliger sæuæ puer,
Intende certa spiculum uelox manu,
Non è sagittis leuibus, è numero precor
Grauiore profer, quo tuæ nondum manus
Misere in aliquem: non leui telo est opus,
Vt amare poßit Hercules: rigidas manus
Intende, & arcum cornibus iunctis para:

Nunc

239

Nunc nunc sagittam prome, qua quondam horridus
Iouem petisti, fulmine abiecto deus
Cum fronte subita timuit, & rapidum mare
Taurus puellæ uector Assyriæ scidit:
Immitte amorem, uincat exempla omnia:
Amare discat coniuges: si quas decor
Immisit Ioles pectori Herculeo faces,
Extingue totas, perbibat flammas mei.
Tu fulminantem sæpe domuisti Iouem:
Tu furua nigri sceptra gestantem poli
Turbæ ducem maioris, & dominum Stygis:
Tu, qui nouerca es grauior irata deus,
Cape hunc triumphum, solus euince Herculem.
NVT. Prolata uis est, quæq; Palladia colu
Lassauit omnem texta famularem manum:
Nunc congregetur uirus, ut uestis bibat
Herculea pestem: precibus augebo malum.
E tempore ipso gnauus occurrit Lycas.
Cælanda uis est, illa ne pateant mala.
DE. O quod superbæ non habent unquam domus.
Fidele semper regibus nomen, Lyca
Cape hos amictus, nostra quos neuit manus,
Dum uagus in orbem fertur, & uictus mero
Tenet feroci Lydiam gremio nurum.
Nunc poscit Iolem: sed iecur fors horridum

Flectam

Fleƈtam emerendo, merita uincunt & malos.
Non ante ueſtes induat coniunx, iube,
Quàm thure flammas ſpargat, & poſcat deos
Cana rigentem populo uinƈtus comam.
Ipſa ad penates regios greſſus feram,
Precibusq́; amoribus horridi matrem colam.
Vos, quas paternis extuli comites focis,
Calidoniæ deſlete lugendas uices.

CHORVS.

Anapæſtici.

FLemus caſus Oenei tuos,
Comitum primos turba per annos.
Flemus dubios miſeranda toros,
Nos Acheloi tecum ſolitæ
Pulſare uadum, cum iam tumidas
Vere peraƈto poneret undas.
Gracilisq́; uado ſerperet æquo,
Nec præcipitem uolueret amnem
Flauus rapido ſonte Lycormas.
Nos Palladias ire per aras,
Et uirgineos celebrare choros,
Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum ſolitæ condita ciſtis.
Cum iam pulſo ſydere brumæ

Tertia soles euocat æstas.
Et spiciferæ concessa deæ
Actica Mystas claudit Eleusis,
Nunc quoq; fatum quodcunq; times
Fidas comites accipe fatis:
Nam rara fides, ubi iam melior
Fortuna ruit.
Tu quicunq; es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua uulgus in aula
Centum pariter limina pulset,
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis uix una fides.
Tenet auratum limen Erinnys.
Et cum magnæ patuere fores,
Intrant fraudes, cautiq; doli,
Ferrumq; latens: cumq; in populos
Prodire parant, comes inuidia est.
Noctem quoties summouet Eos
Regem toties credite nasci.
Pauci reges non regna colunt,
Plures fulgor conuocat aulæ:
Cupit hic regi proximus ipsi
Clarus latas ire per urbes:
Vrit miserum gloria pectus.
Cupit hic gazis implere famem.

Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Istri, nec tota sitim
Lydia uincit: nec quæ Zephyro
Subdita tellus, stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum.
Nec si totus seruiat Hebrus,
Ruraq́; diues cingat Hydaspes,
Intraq́; suos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
Auidis auidis natura parum est,
[illegible] *hic reges, regumq́; lares,*
[illegible]*on, ut presso* [illegible]*mere semper*
Nunquam cesset curuus arator,
Vel mille secent arua coloni,
Solas optat, quas donet, opes.
Colit hic reges, calcet ut omnes,
Perdatq́; aliquos, nullumq́; leuet.
Tantum ut noceat, cupit esse potens.
Quota pars moritur tempore fati,
Quos felices Cynthia uidit,
Vidit miseros abitura dies.
Rarum est, felix, idemq́; senex.
Cespes tyrio mollior ostro
Solet impauidos ducere somnos.
Aurea rumpunt tecta quietem,

Vigilesq; trahit purpura noctes.
O si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortune metus, Brutia Coro
Pulsante fretum mitior unda est.
Pectora pauper secura gerit.
Tenet è patula fago,
Sed non trepida tenet ipsa manu,
Carpit faciles uilesq; cibos,
Sed non strictos respicit enses,
Aurea miscet pocula sanguis.
Coniunx modico nupta marito
Non disposito clara monili,
Gestat pelagi dona rubentis.
Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in unda.
Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores.
Nec Mæonia distinguit acu,
Quæ Phœbeis subditus Euris,
* Seres Legis Eois * Ser arboribus.
Quælibet herbæ tinxere colos,
Quas indoctæ neuere manus.
Sed non dubios fouet illa toros.

Sequitur dira lampade Erinnys
Quorum populi coluere diem.
Nec sibi felix pauper habetur,
Nisi felices cecidisse uidet.
Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.
Dum petit unum præbere diem,
Patriosq́; puer concitat axes,
Nec per solitum percurrit iter,
Sed Phœbeis ignota secat
Sydera flammis errante rota,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cœli cum pergit iter,
Tenuit latias Dædalus oras,
Nulliq́; dedit nomina ponto.
Sed dum uolucres uincere ueras
Icarus audet, patriasq́; puer
Despicit alas, Phœboq́; uolat
Proximus ipsi, dedit ignoto
Nomina ponto.
Male pensantur magna ruinis.
Felix alius, magnusq́; uolet,
Me nulla uocet turba potentem.
Stringat tenuis littora puppis,
Nec magna meos aura phaselos

Iubeat medium ſcindere pontum.
Tranſit tutos fortuna ſinus,
Medioq; rates quærit in alto,
Quarum feriunt ſuppera nubas.
Sed quid pauido terrida uultu
Qualis Bacho ſaucia Thyas
Fertur rapido regina gradu?
Quæ te rurſus fortuna rotat
Miſeranda refer, licet ipſa neges,
Vultus loquitur, quodcunq; negas.

ACTVS TERTIVS.

Trimetri Iambici.

DEIANIRA. CHORVS.

VAgus per artus errat excuſſos tremor,
Erectus horret crinis, impulſis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum ſalit,
Pauidumq; trepidis palpitat uenis iecur.
Vt fractus Auſtro pontus etiam nunc tumet,
Quamuis quieſcat languidis tuentis dies.
Ita mens adhuc uexatur excuſſo metu.
Semel profecto premere felices deus
Cum cœpit, urget: hos habent magna exitus.
CH. Quis tam impotens, ô miſera, te caſus rotat?

DE. Vt missa palla est, tabe Nessea illita,
Thalamisq; demens intuli gressum meis,
Nescio quid animus timuit, & fraudem * astruit. struit
Libet experiri: solibus uirus ferum.
Flammisq; Nessus sanguinem offendi arguit.
Hic ipse fraudes esse præmonuit deus.
Et forte nulla nube respersus iubar
Laxabat ardens feruidum Titan diem.
Vix ora solui patitur etiam nunc timor,
Medios in ignes solis, & claram facem
Quo tincta fuerat palla, uestisq; illita.
* Abiectus horret sanguis, & Phœbi * coma * Abiectū horret uirus comam
Tepefactus ardet, uix queo monstrum eloqui,
Niues ut Eurus soluint, aut tepidus Notus:
Quas Vere primo lubricus perdit Mimas.
Vtq; euolutos frangit Ionio salo
Opposita fluctus Leucas, & lapsus tumor
In littore ipso spumat, aut cœlestibus
Aspera tepidis thura laxantur focis.
Sic languet omne uirus, & perdit comam.
Dumq; ipsa miror, causa mirandi perit.
Quin ipsa tellus spumeos motus agit,
Et quicquid illa tabe contactum est, labat.
Tumensq; tacita sequitur, & quassat caput.
Natum pauentem cerno, & ardenti pede

Gressus ferentem, prome quid portes noui.

HYLLVS. DEIANIRA. NVTRIX.

Trimetri Iambici.

I Profuge, quære siquid ulterius patet
Terris, freto, syderibus, oceano, inferis,
Vltra labores mater Alcidæ fugæ.
DE. Nescio quod animus grande præsagit malum.
Effare quis me casus insontem premat.
HYL. Decus illud orbis, atq; præsidium unicum,
Quem fata terris in locum dederant Iouis
O mater obijt: membra, & Herculeos toros
Vrit lues nessea: qui domuit feras,
Ille ille uictor uincitur, mœret, dolet.
Quid quæris ultra? DE. Miserias properant suas
Audire miseri: fare, quo posita in statu
Iam nostra domus est: ô lares, miseri lares.
Nunc uidua, nunc expulsa, nunc feror obruta.
HYL. Non sola mœres: Hercules toto iacet
Mundo gemendus: fata ne mater tua
Priuata credas, iam genus totum obstrepit.
Hunc eiulatu quem gemis cuncti gemunt.
Commune terris omnibus pateris malum.

Luctum

Luctum occupasti prima; non sola Hercule
Miseranda mœres. DE. Quàm propè à leto tamen
Ede, ede, quæso, iaceat Alcides meus.
HYL. Mors refugit illum, uicta quæ in regno suo
Semel est, nec audent fata tam uastum nefas
Admittere, ipsa forsan trepida colos
Clotho manu proiecit, & fatum Herculis
Timet peragere: prò diem * infandum diem, * infaustū
Hóc ne ille summe magnus Alcides iăt
Ad fata, & umbras, atq; peiorem polum?
DE. Præcedere illum dicis? an possum prior
Mortem occupare? fare, si nondum occidit.
HYL. Euboïca tellus uertice immenso tumens
Pulsatur omni parte: Phryxeum mare
Scindit Caphareus, seruit hoc Austro latus,
At quà niuosi patitur Aquilonis minas,
Euripus undas flectit instabiles uagus,
Septem'q; cursus flectit, & totidem refert,
Dum lassa Titan mergat oceano iuga
Hic rupe celsa, nulla quam nubes ferit,
Annosa fulgent templa Cænæi Iouis,
Vt stetit ad aras omne uotiuum pecus,
Totum'q; tantis gemuit armentis nemus,
Spolium Leonis sordidum tabo exuit,
Posuit'q; clauæ pondus, & pharetra grauis

244

Laxauit humeros, ueste tunc fulgens tua
Cana reuinctus populo horrentem comam
Succendit aras: accipe has inquit, focis
Non falsæ messes genitor, & largo sacer
Splendescat ignis thure, quod Phœbum colens
Diues sabæis colligit truncis Arabs.
Pacata tellus, inquit, & cœlum, & freta,
Feris subactis omnibus uictor redij.
Depone fulmen: gemitus in medias preces
Stupente & ipso, cecidit: hic cœlum horrido
Clamore complet: qualis impressa fugax
Taurus bipenni uulnus, & telum ferens
Delubra uasto trepida mugitu replet.
Aut quale mundo fulmen emissum tonat,
Sic ille gemitus sydera, & pontum ferit,
Et uasta Calpe sonuit, & uoces Cyclas
Excepit omneis: Hinc petræ Caphariae,
Hinc omne uoces reddit Herculeas nemus.
Flentem uidemus, uulgus antiquam putat
Rabiem redisse, tunc fugam famuli petunt.
At ille uultus ignea torquens face
Vnum inter omnes quærit, & sequitur Lycam,
Complexus aras ille tremebunda manu
* paulum Mortem metu consumpsit, & * parum sui
Pœnæ reliquit: dum'q; tremebundum manu

Tenuit

Tenuit cadauer: hac manu, inquit, te feram.
O fata, uictus Herculem perimit Lycas.
Ecce alia clades, Hercules perimit Lycam.
Fata inquinantur, fiet hic summus labor.
In astra missus fertur, & nubes uago
Spargit cruore: talis in cœlum exilit
Arundo Getica uisa dimitti manu.
Aut quam Cydon excußit, inferius tamen
Fugiente trunco corpus in pontum cadit,
In saxa ceruix, funus ambobus iacet.
Resistite, inquit, non furor mentem abstulit.
Furore grauius istud, atq; ira malum est.
In me iuuat sæuire, uix pestem indicat,
Et sæuit, artus ipse dilacerat suos,
Et membra uasta carpit auellens manu.
Exuere amictus quærit, hoc solum Herculem
Non posse uidit: trahere conatus tamen,
Et membra traxit: corporis palla horridi
Pars est, & ipsa uestis immiscet cutem.
Nec causa diræ cladis in medio patet,
Sed causa tamen est, uixq; sufficiens malo,
Nunc ore terram languidus prono ferit,
Nunc poscit undas, unda non uincit malum,
Et nota quærit littora, & pontum occupat.
Famularis illum retinet errantem manus:

245

O ſortem acerbam, fuimus Alcidæ pares.
Nunc puppis illum littore Euboico refert,
Auſterq; lenis pondus Herculeum rapit.
Deſtituit animus membra, nox oculos premit.
DE. Quid anime ceſſas? quid ſtupes factum ſcelus?
Natum repoſcit Iuppiter, Iuno æmulum.
Reddendus orbi eſt, quod poteſt reddi exhibe.
Eat per artus enſis exactus meos.
Sic ſic agendum eſt? tam leuis pœnas manus
Tantasq; repoſcit? tolle fulminibus ſocer
Nurum ſceleſtam, nec leui telo manus
Armetur, illud fulmen exiliat polo.
Quo, ni fuiſſet genitus Alcides tibi,
Hydram cremaſſes, peſtem ut ut inſolitam feri.
Et ut nouerca peius irata malum,
Emitte telum, quale in errantem prius
Phaëtonta miſſum eſt: perdidi erepto Hercule
Et ipſa populos: quid rogas telum deos?
Iam parce ſocero, coniugem Alcidæ necem
* maius Optare pudeat, hoc erit uotum * manus:
A me petatur, occupa ferrum ocyus.
Cur? deme ferrum, quicquid in mortem trahit
Telum eſt abunde, rupe ab ætheria ferar.
Hæc, hæc, renatum prima quæ poſcit diem.
Oeta eligatur, corpus hinc mitti placet.

Abrupta

Abrupta cautes ſcindat, & partem mei
Ferat omne ſaxum, pendeant laceræ manus,
Totum'q; rubeat aſperi montis latus.
Leuis una mors eſt: leuis, at extendi poteſt.
Eligere neſcis anime, cui telo incubes.
Vtinam eſſet utinam fixus in thalamis meis,
Herculeus enſis: hoc decet ferro immori.
Vna perire dextera nobis ſat eſt?
Coite gentes, ſaxa, & incenſas faces
Iaculetur orbis, nulla nunc ceſſet manus:
Eripite tela, uindicem ueſtrum abſtuli.
Impune ſæui ſceptra iam reges gerent,
Impune iam naſcetur indomitum malum,
Reddentur aræ cernere aſſuetæ hoſtiam
Similem colenti, ſceleribus feci uiam.
Ego uos tyrannis, regibus, monſtris, feris,
Sæuis'q; rapto uindice oppoſui deis.
Ceſſas tonantis ſocia? non ſparſis facem
Imitata fratrem, & mittis ereptam Ioui?
Me'q; ipſa perdis laus tibi erepta inclyta eſt,
Ingens triumphus: æmuli Iuno tui
Mortem occupaui. NV. Quid domum impulſam trahis?
Erroris iſtuc omne quodcunq; eſt nefas.
Haud eſt nocens, quicunq; non ſponte eſt nocens.
DE. Quicunq; facto ignoſcit, & parcit ſibi,

Errare

Errare meruit, morte damnari placet.
NVT. Nocens uideri qui petit, mortem cupit.
DE. Mors innocentes sola deceptos facit.
NVT. Titana fugies? DE. Ipse me Titan fugit.
NVT. Vitam relinques misera? DE. At Alcidē sequar.
NVT. Superest, & auras ille cœlestes trahit.
DE. Vinci Hercules cum potuit, hinc cœpit mori.
NVT. Natum relinques? fatáq; abrumpes tua?
DE. Quæcunq; natum sepelit, hæc ui it diu.
NVT. Virum sequeris? DE. Prægredi castæ solent
NVT. Si te ipsa damnas, scelere te misera arguis.
DE. Nemo nocens sibi ipse pœnas irrogat.
NVT. Multis remissa est uita, quorum error nocens.
Non dextra fuerat, facta quis damnat sua?
DE. Quicunq; fata iniqua sortitus fugit.
NVT. Hic ipse Megaram nempe confixam suis
Strauit sagittis, atq; natorum indolem,
Lernæa flectens tela furibunda manu
Ter paricida factus, ignouit tamen
Sibi: nam furori fonte Cyniphеo scelus
Sub axe Libyco tersit, & dextram abluit.
Quò misera pergis? quid tuas damnas manus?
DE. Damnat meas deuictus Alcides manus.
Fraudem placet punire. NV. Si noui Herculem,
Aderit cruenti forsitan uictor mali,

Dolorq;

Dolorq; fractus cedet Alcidæ tuo.
DE. Exedit artus uirus, ut fama est, Hydræ,
Immensa pestis coniugis membra abstulit.
NVT. Serpentis illud uirus enectæ autumas
Haud posse uinci, qui malum & uiuum tulit?
Elisit Hydram, dente cum infixo stetit
Media pallude uictor, effuso obrutus
Artus ueneno, sanguis hunc Nessi opprimet?
Qui uicit ipsas horridi Nessi manus.
DE. Frustra tenetur ille qui statuit mori.
Vnde lucem fugere decretum est mihi.
NVT. Vixit satis, quicunq; cum Alcide occidit.
Per has aniles ecce te supplex comas,
Atq; ubera ista penè materna obsecro,
Depone tumidas pectoris læsi minas,
Mortisq; diræ expelle decretum horridum.
DE. Quicunq; misero forte dissuadet mori,
Crudelis ille est, interim pœna est mori.
NVT. Sed sæpe donum in pluribus ueniæ fuit,
Defende saltem dexteram infelix tuam.
Fraudisq; facinus esse non nuptæ scias.
DE. Defendar illic, inferi soluent ream,
A me ipsa damnor, purget has Pluto manus.
Stabo ante ripas immemor Lethe tuas:
Et umbra tristis coniugem excipiam meum.

Sed tu,

Sed tu, nigrantis regna qui torques poli,
Para laborem, scelera quæ quisq; ausus est:
Hic uicit error: Iuno non ausa Herculem est
Eripere terris, horridam pœnam para.
Sisyphia ceruix esset, & nostros lapis
Impellat humeros, me uagus fugiat latex,
Meamq; fallax unda decipiat sitim,
Merui manus præbere turbinibus tuis,
Quæcunq; regem Thessalum torques rota:
Effodiat auidus hinc, & hinc uultur fibras.
Vacet una Danais, has ego explebo uices.
Laxate manes, recipe me comitem tui
Phasiaca coniunx, peior hæc, peior tua
Vtraq; dextra est, scelere seu mater nocens,
Seu dira soror est, adde me comitem tuis
Threicia coniunx sceleribus: natam tuam
Althæa mater recipe, nunc ueram tuam
Agnosce prolem: quid tamen tantum manus
Vestræ abstulerunt? claudite Elysium mihi,
Quæcunq; fidæ coniuges nemoris sacri
Lucos tenetis: siqua respersit manus
Viri cruore, nec memor castæ facis
Stricto cruenta Belias ferro stetit,
In me suas cognoscat, & laudet manus:
In hanc abire coniugum turbam libet.

Sed &

Sed & illa fugiet turba tam diras manus,
Inuicte coniunx, innocens animus mihi.
Scelesta manus est: prò nimis mens credula,
Prò Nesse fallax: nanq; semiferi dolis
Auferre cupiens pellici, eripuit mihi.
Recede Titan, tuq; quæ blanda tenes
In luce miseros, uita caritura Hercule
Lux uilis est, exigam pœnas tibi,
Reddamq; uitam fata ne extendam mea?
Mortemq; coniunx in tua seruem manus?
Virtus ne superest aliqua? Sarmatica & manus
Intendere arcum tela missurum ualet?
Num arma cessant? teq; languenti manu
Num audit arcus? si potest telum dare
Animosa coniunx, dexteram expecto tuam.
Mors differatur, frange ut insontem Lycam,
Alias in urbes sparge, & ignotum tibi
Emitte in orbem perde ut Arcadiæ nefas,
Et quicquid aliud restitit, ab illis tamen
Coniunx redisti. H Y L. Parce iam mater precor.
Ignosce fatis, error à culpa uacat.
DE. Si uera pietas, Hylle, quærenda est tibi,
Iam perime matrem, pauida quid tremuit manus?
Quid ora flectis? hoc erit pietas scelus.
Ignaue dubitas? Herculem eripui tibi.

Hæc

Hæc hæc peremit dextra, cui debes patri
Auum tonantem: maius eripui decus,
Quàm in luce tribuit: ſi tibi ignotum eſt nefas,
A matre diſce, ſeu tibi iugulo placet
Merſiſſe ferrum, ſiue maternum libet
Inuadere uterum, mater intrepidum tibi
Præbebit animum, non erit totum ſcelus
A te peractum: dextera ſternar tua,
Sed mente noſtra: natus Alcide times?
Ita nulla peragas iuſſa, nec peragens mala
Erres per orbem, ſi qua naſcentur fera,
Referas parentem, dexteram intrepidam para.
Patet ecce plenum pectus ærumnis feri.
Scelus remitto, dexteræ parcant tuæ
Eumenides ipſæ: uerberum crepuit ſonus.
Quæ nam iſta torquens angue uipereo comam
Temporibus atras ſqualidis pinnas quatit?
Quid me flagrante dira perſequeris face
Megæra? pœnas poſcit Alcides, dabo:
Iám ne inferorum diua ſedere arbitri?
Sed ecce diras carceris uideo fores:
Quis iſte ſaxum immane detritis gerit
Iam ſenior humeris? ecce iam uectus lapis
Quærit relabi, membra quis præbet rotæ?
Hic ecce pallens dira Tiſiphone ſtetit.

Cauſam

Cauſam popoſcit: parce uerberibus precor,
Megæra, parce, ſuſtine Stygias faces.
Scelus eſt amoris: ſed quid hoc? tellus labat,
Et aula tectis crepuit, exceßit minax
Vnde iſte cœtus? totus in uultus meos
Decurrit orbis, hinc & hinc populi fremunt,
Totusq; poſcit uindicem mundus ſuum,
Iam parcite urbes, quò fugam præceps agam?
Mors ſola portus, dabitur ærumnis locus.
Teſtor nitentis flammeam Phœbi rotam,
peroſq; teſtor, Herculem terris adhuc
Moritura linquo. HYL. Fugit attonita, hei mihi,
Peracta iam pars matris eſt, ſtatuit mori.
Nunc noſtra ſupereſt mortis auferre impetum.
O miſera pietas, ſi mori matrem uetas,
Patri es ſceleſtus: ſi mori pateris tamen,
In matre peccas, ſurgit hinc illinc nefas.
Inhibenda tamen eſt, pergam, & eripiam ſcelus.

CHORVS.

Glyconici. Coriambici.

VErum eſt quod cecinit ſacer
Threſſæ ſub Rodopes iugis
Tangens Threiciam chelym,
Orpheus Calliopæ genus,

Aeternum fieri nihil.
Illius ſtetit ad modos
Torrentis rapidi fragor,
Oblituſq́; ſequi fugas
Amiſit liquor impetum.
Et dum fluminibus mora eſt,
Defeciſſe putant Geten
Hebrum Biſtones ultimi.
Aduexit uolucres nemus,
Et ſylua reſidens uenit.
Aut ſiqua aëra peruolat
Auditis uaga cantibus
Ales deficiens cadit,
Abrupit ſcopulos Athos
Centuaris obitum ferens,
Et iuxta Rhodope ſtetit
Laxata niue cantibus.
Et quercum fugiens ſuam,
Ad uatem properat Dryas,
Ad cantus ueniunt ſuis
Ipſæ cum latebris feræ.
Iuxtaq́; impauidum pecus
Sedit Marmaricus Leo,
Nec damæ trepidant lupos,
Et ſerpens latebras fugit

Tunc

Tunc oblita ueneni.
Quin per Tænareas fores,
Manes commonitos adit,
Mærentem feriens chelym,
Cantu tartara flebili,
Et tristes Erebi deos
Mouit, nec timuit Stygis
Iuratos superis lacus.
Hæsit non stabilis rota
Victo languida turbine.
Increuit Tityi iecur,
Dum cantus uolucres tenet
Audito quoq; nauita
Inferni ratis æquoris
Nullo remigio uenit.
Tunc primum Phrygius senex
Vndis stantibus immemor
Excussit rabidam sitim,
Nec pomis adhibet manus.
Sed cum linqueret inferos
Orpheus carmina fundens,
Et uinci lapis improbus,
Et uatem potuit sequi.
Consumptas iterum deæ
Supplent Eurydices colos.

Sed dum respicit immemor,
Nec credens sibi redditam
Orpheus Eurydicen sequi,
Cantus præmia perdidit,
* data *Quæ *nata est iterum perit.*
Tunc solamina cantibus
Quærens flebilibus modis
Hæc Orpheus cecinit Getis
Leges in superos datas,
Et qui tempora digerens
Quatuor præcipitis deus
Anni disposuit uices.
Nulli non auidas polo
Parcas stamina nectere.
Quod natum est, poterit mori.
Vati credere Thracio
Deuictus iubet Hercules.
Iam iam legibus obrutis
Mundo cum ueniet dies,
Australis polus obruet
Quicquid per Libyam iacet,
Et sparsus Garamas tenet,
Arctous polus obruet.
Quicquid subiacet axibus,
Et siccus Boreas ferit,

Amißum trepidus polo
Titan excutiet diem,
Cœli regia concidet,
Certos atq; obitus trahet,
Atq; omnes pariter deos
Perdet mors aliqua, & chaos.
Et mors fata nouißima
In se constituet sibi.
Quis mundum capiet locus?
Discedet uia tartari,
ratis ut pateat polis?
An quod diuidit æthera
A terris spacium, sat est?
Et mundi nimium malis?
Quis tantam capiet nefas
Fati? quis superis locus?
Pontum, sydera, tartara,
Regna unus capiet tria.
Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas mouet?
Est est Herculeus sonus.

ACTVS QVARTVS.

Trimetri Iambici.

HERCVLES. CHORVS.

COnuerte Titan clare anhelantes equos,
Emitte noctem, pereat hic mundo dies,
Quo moriar, atra nube inhorrescat polus.
Obstat nouerca, nunc pater cæcum chaos
Reddi decebat, hinc & hinc compagibus
Ruptis uterq; debuit frangi polus.
Quid parcis astris? Herculem amittis pater,
Nunc parte in omni Iuppiter specta poli,
Ne quis gygas Thessalica iaculetur iuga,
Et fiat Othrys pondus Encelado leue.
Laxabit atri carceris iam iam fores
Pluton superbus, uincula excutiet patri,
Cæloq; reddet: ille, qui pro fulmine
Tuisq; facibus natus in terris eram,
Ad Stygia reuertor: surget Enceladus ferox,
Mittetq;, quo nunc premitur, in superos onus.
Regnum omne genitor ætheris dubium tibi
Mors nostra faciet, antequam spolium tui
Cælum omne fiat, conde me tota pater
Mundi ruina, frange, quem perdis, polum.
CH. Non uana times nate tonantis,
Iam Thessalica Pelion Ossa
Premet, & Pindo congestus Athos

Nemus æthærijs inferet astris.
Vincet scopulos Typhoëus,
Et Tyrrhenam feret * Inarimen. * Inarimē
Feret æthnæos inde caminos,
Scindetq́; latus montis aperti
Nondum Enceladus fulmine uictus.
Iam te cœli signa sequentur.
HER. Ego, qui relicta morte, contempta Styge,
Per media Lethes stagna cum spolio redij,
Cum penè trepidis excidit Titan equis.
Ego, quem deorum regna senserunt tria,
Morior, nec ullus per meum stridet latus
Transmissus ensis, haud meæ telum necis
Saxum est, nec instar montis abrupti latus,
Aut totus Othrys, non truci uultu Gygas
Pindo cadauer obruit toto meum
Sine hoste uincor, quódq́; me torquet magis,
O misera uirtus, summus Alcidæ dies
Nullum malum prosternit, impendo male
In nulla uitam facta: prò mundi arbiter,
Superiq́; quondam dexteræ testes meæ,
Prò cuncta tellus, Herculis uestri placet
Mortem perire? dirus ô nobis pudor,
O turpe fatum, fœmina Herculeæ necis
Autor feretur, autor Alcides quibus?

Inuicta si me cadere fœminea manu
Voluere fata, per'q; tam turpes colos
Mea mors cucurrit, cadere potuissem mihi
Iunonis odio, fœminæ caderem minis,
Sed cœlum habentis, sed nimis superis fuit.
Scythico sub axe genita domuisset meas
Vires Amazon: fœminæ cuius manu
Iunonis hostis uincor? hinc grauior tui
Nouerca pudor est: quid diem hunc lætum uocas?
Quid tale tellus genuit iratæ tibi?
Mortalis odia fœmina excessit tua.
Adhuc ferebas esse te Alcidæ imparem,
Victa es duobus, pudeat irarum deos.
Vtinam meo cruore satiasset suos
Nemeæa rictus pestis: aut centum anguibus
Vallatus Hydram tabe pauissem mea.
Vtinam fuissem præda Centauris datus.
Aut inter umbras uictus æterno miser
Saxo sederem, spolia cum traxi ultima
Fato stupente, tunc ab inferna Styge
Lucem recepi, Ditis euici moras.
Vbiq; me mors fugit, ut leto inclyto
Fortis carerem: prò feræ uictæ ô feræ.
Non me triformis sole conspecto canis
Ad Styga reduxit: non sub hesperio polo

Ibera uicit turba pastoris feri,
Non gemina serpens, perdidi mortem, hei mihi,
Toties honestam, titulus extremus quis est?
CH. Viden, ut laudis conscia uirtus
Non lethæos horreat amnes?
Pudet autoris, non morte dolet.
Cupit extremum finire diem
Vasta pressus mole gigantum,
Et monstriferum Titana pati,
Rabidæq; necem debere feræ.
 ua causa est miseranda necis,
Quod nulla fe[illegible]est, nullusq; gigas,
Iam quis dignus necis Herculeæ
Superest autor, nisi dextra tui?
HER. Ehu quis intus scorpius, quis feruida
Plaga reuersus cancer infixus meas
Vrit medullas? sanguinis quondam capax
Tumidi iecur pulmonis arentes fibras
Distendit, ardet felle siccato iecur,
Totumq; lentus sanguinem auexit uapor.
Primam cutem consumpsit, hinc aditus nefas
In membra fecit, abstulit costis iecur,
Exedit artus penitus, & totas malum
Hausit medullas, oßibus uacuis sedet.
Nec ossa durant ipsa, sed compagibus

Discussa ruptis mole collapsa fluunt.
Defecit ingens corpus, & pesti satis
Herculea non sunt membra, prò quantum est malum,
Quod esse uastum fateor: ô dirum nefas,
En cernite urbes, cernite ex illo Hercule
Quid iam supersit, Herculem agnoscas pater.
Hijs ne ego lacertis spolia nemeæi mali
Elisa preßi? tensus hac arcus manu
Astris ab ipsis detulit Stymphalidas?
Hijs ego citatam greßibus uici feram
Radiante clarum fronte gestantem caput?
Hijs fracta Calpe manibus elisit fretum?
Hijs tot feræ, tot scelera, tot reges iacent?
His mundus humeris sedit? hæc moles mei est?
Hæc ne illa ceruix? has ego opposui manus
Cœlo ruenti? cuius ô custos manu
Trahetur ultra Stygius? ô uires prius
In me sepultæ? quid patrem appello Iouem?
Quid per tonantem uendico cœlum mihi?
Iam iam meus credetur Amphytrio pater.
Quæcunq; pestis uiscere in nostro lates,
Procede, quid me uulnere occulto petis?
Quis te sub axe frigido pontus Scythes,
Quæ pigra Tethys genuit? aut Maurum premens
Ibera Calpe littus? ô dirum malum.

Vtrúmne

Vtrùm ne serpens squalidum crista caput
Vibrans, an aliquod est mihi ignotum malum?
Nunquid cruore es genita Lernææ feræ?
An te reliquit Stygius in terris canis?
Omne est malum, nullumq́;, quis uultus tibi est?
Concede saltem scire, quo peream malo.
Quæcunq; pestis sæua, quæcunq; effera es
Palàm timeres, quis tibi in medias locum
Fecit medullas? ecce, direpta cute
Viscera manus detexit, ulterior tamen
Inuenta latebra est ô malum simile Herculi,
Vnde iste fletus? unde in has lachrymæ genas?
Inuictus olim uultus, est nunquam malis
Lachrymas suis præbere consuetus, pudet,
Iam flere didicit: quis dies fletum Herculis,
Quæ terra uidit? siccus ærumnas tuli.
Tibi illa uirtus, quæ tot elisit mala,
Tibi cessit uni: prima, & ante omnes mihi
Fletum abstulisti: durior saxo horrido,
Et chalybe uultus, & uaga Symplegade
Rictus meos infregit, & lachrymam extulit.
Flentem, gementem, summe protector poli
Me terra uidit, quodq́; me torquet magis,
Nouerca uidit: urit ecce iterum fibras.
Incaluit ardor: unde nunc fulmen mihi?

CHO. Quid

CHO. Quid non poßit superare dolor?
Quondam Getico durior Hæmo,
Nec parrhasio lentior axe
Sæuo ceßit membra dolori,
Fessumq́; mouens per colla caput
Latus alterno pondere flectit.
☞ luctus Fletum uirtus sæpe resoluit.
Sic arctoas laxare niues,
Quamuis tepido sydere Titan,
Non tamen audet, uicitq́; faces
Solis adusti glaciale iubar.

HERCVLES. ALCMENA.

Trimetri Iambici.

COnuerte uultus ad meas clades pater.
Nunquam ad tuas confugit Alcides manus.
Non, cum per artus Hydra fœcundum meos
Caput implicaret, inter infernos lacus
Possessus atra nocte cum fato steti,
Nec inuocaui: tot feras uici horridas,
Reges, tyrannos: non tamen uultus meos
In astra torsi, semper hæc nobis manus
Votum spopondit: nulla propter me sacro
Micuere cœlo fulmina: hic aliquid dies
Optare iußit, primus audierit preces

Idemq́;

Idemq́; summus, unicum fulmen peto.
Giganta, crede, non minus uerum mihi
Asserere potui: dum patrem uerum puto,
Cœlo peperci: siue crudelis pater,
Siue es misericors, commoda nato manum.
Propera ante mortem, & occupa hanc laudem tibi.
Vel, si piget, manusq́; detrectat nefas,
Emitte Siculo uertice ardentes pater
Titanas in me, qui manu Pindum ferant,
Ante Ossa, qui me monte proiecto opprimant.
rumpe & Erebi claustra, me stricto petat
Bellona ferro: mitte Gradiuum trucem.
Armetur in me dirus, * & frater quidem, * est
Sed ex nouerca: tu quoq; Alcidæ soror
Tantum ex parente cuspidem in fratem tuum
Iaculare Pallas: supplices tendo manus
Ad te nouerca, sparge tu saltem, precor,
Telum: perire fœminæ possim manu.
Iam fracta, iam satiata, quid pascis minas?
Quid quæris ultra? supplicem Alciden uides.
Et nulla tellus, nulla me uidit fera
Te deprecantem: nunc mihi irata quidem
Opus est nouerca, nunc tuus cessat dolor?
Nunc odia ponis? parcis, ubi uotum est mori.
O terræ, & urbes, non facem quisquam Herculi,

Non arma

Non arma tradet? tela subtrahitis mihi?
Ita nulla sæuas terra concipiat feras
Post me sepultum: nec meas unquam manus
Imploret orbis: siqua nascetur fera
Nascatur alius: undiq; infelix caput
Mactate saxis, uincite ærumnas meas.
Ingrate cessas orbis? excidimus tibi?
Adhuc malis, ferisq; suppositus fores,
Ni me tulisses: uindicem uestrum malis
Excipite populi: tempus hoc uobis datur.
Pensate merita: mors erit pretium omnium.
AL. Quas misera terras mater Alcide petam?
Vbi natus, ubi nam est? certa si uisus notat,
Recliuis ecce corde anhelanti æstuat,
Gemit, peractum est: membra complecti ultima
O nate liceat: spiritus fugiens meo
Legatur ore, brachia in amplexus cape.
Vbi membra sunt? ubi illa, quæ mundum tulit,
Stelligera ceruix? quis tibi exiguam tui
Partem reliquit? HER. Herculem spectas quidem
Mater, sed umbræ similes nescio quid mei
Agnosce mater: ora quid flectis retro,
Vultumq; mœrens? Herculem dici tuum
Partum erubescis? AL. Quis feram mundus nouam,
Quæ terra genuit? quodue tam dirum nefas

De te

De te triumphat? uictor Herculeus quis est?
HER. Nuptæ iacentem cernis Alciden dolis?
AL. Quis tantus est, qui uincat Alciden dolus?
HER. Quicunq; mater fœminæ iratæ sat est.
AL. At unde in artus pestis, aut ossa incidit?
HER. Aditum uenenis palla fœmineis dedit.
AL. Vbi nam ipsa palla est? membra nudata intuor.
HER. Cõsumpta mecũ est. AL. Tãtá ne inuẽta est lues?
HER. Errare medijs credo uisceribus meis
O mater Hydram, & mille cum Lerna feras:
Quæ tanta nubes flamma Sicanias bibit?
Quæ Lemnos ardens? quæ plaga inferni poli
Vetans flagranti currere in zona diem?
In ipsa me iactate, prò comites, freta,
Mediosq; in amnes: quis sat est Ister mihi?
Non ipse terris maior oceanus meos
Franget uapores: omnis in nostris malis
Deficiet humor, omnis arescet latex:
Quid rector Erebi me remittebas Ioui?
Decuit tenere, redde me tenebris tuis.
Talem subactis Herculem ostende inferis.
Nil inde ducam: quid, times iterum Herculem?
Inuade mors non trepida, iam possum mori.
AL. Compesce lachrymas saltem, & ærumnas doma,
Malisq; tantis Herculem indomitum refer,

Mortemq;

256

Mortemq́; uince, quod soles, uince inferos.
HER. Si me catenis horridus uinctum suis
Præberet auidæ Caucasus uolucri dapem
Scythia gementem, flebilis gemitus mihi
Non extitisset: si uagæ Symplegades
Vtrâq; premerent rupe, redeuntis minas
Ferrem ruinæ: Pindus incumbat mihi
Atq; Hæmus, & qui Thracios fluctus Athôs
Frangit tonantis fulmen excipiens Iouis.
Non, ipse si in me mater hic mundus ruat,
Superq́; nostros flagret incensus rogos
Phœbeus axis, degener mentem Herculis
Clamor domaret: mille decurrant feræ,
Pariterq́; lacerent, hinc feris clangoribus
Aetheria me Stymphalis, hinc & taurus minax
Ceruice tota pulset, & quicquid furit,
Solum quoq; ingens surgat, hinc illinc fremens,
Artusq́; nostros durus imminuat dolor,
Sparsus silebo: non feræ excutient mihi,
Non arma gemitus: nil, quod impelli potest.
AL. Non uirus artus nate fœmineum coquit,
Sed dura series operis, & longus tibi
Fauet cruentis forsitan morbis dolor.
HER. Vbi mors? ubi illa? testis est aliquis mali?
Intendat arcus, nuda sufficiet manus:

In orbe

In orbe mecum ueniat, huc aliquis mihi
Procedat agedum huc. AL. Hei mihi ſenſus quoq;
Excuſsit ille nimius impulſus dolor.
Remouete quæſo tela, & infeſtas, precor,
Rapite hinc ſagittas, igneæ ſuffuſæ genæ
Scelus minantur, qua fuga latebras petam?
Dolor iſte furor eſt: Herculem ſolus domat.
Cur deinde lachrymas, aut fugam uecors petam?
Obire forti meruit Alcmene manu.
Vel ſcelere pereat, ante quàm letum mihi
[illegible]auus aliquis mandet, ac turpis manus
De me triump[illegible] ecce laſſatus malis
Sopore feſſas alligat uenas dolor.
Grauiq; anhelum pectus impulſu quatit.
Fauete ſuperi, ſi mihi natum inclytum
Miſeræ negatis, uindicem ſaltem, precor,
Seruate terris, abeat excuſſus dolor,
Corpusq; uires reparet Herculeum ſuas.

HYLLVS. ALCMENA. HERCVLES.

Trimetri Iambici.

PRò lux acerba, prò capax ſcelerum dolor.
Nurus tonantis occidit, natus iacet.
Nepos ſuperſunt: ſcelere materno hic perit,

Fraude illa capta est: quis per annorum uices,
Totoq; in æuo poterit ærumnas senex
Referre tantas? unus eripiet dies
Parentem utrunq;, cætera ut sileam mala.
Parcamq; fatis, Herculem amitto patrem.
AL. Compesce uoces inclytum Alcidæ genus.
Miseræq; nato similis Alcmenæ nepos,
Longus dolorem forsitan uincet sopor.
Sed ecce lassam deserit mentem quies,
Redditq; morbo corpus, & luctus mihi.
HER. Quid hoc? rigenti cernitur Trachyn iugo?
At inter astra positus euasi genus
Mortale? tandem quis mihi cœlum parat?
Te te pater iam uideo, placatam quoq;
Specto nouercam: qui sonus nostras ferit
Cœlestis aures? Iuno me generum uocat.
Video nitentem regiam clari ætheris.
Phœbiq; tritam flammeam zonam rota:
Cubile uideo, noctis hinc tenebras uocat.
Quid hoc? quis axem cludit, & ab ipsis pater
Deducor astris? ora Phœbeus modo
Afflabat axis, tam propè à leto fui.
Trachyna uideo, quis mihi terras dedit?
Modo nempe me infra steterat, ac totus mihi
Suppositus orbis, tam bene excideras dolor.

Cogis

Cogis fateri: parce, & hanc uocem occupa.
Hæc Hylle dona matris, hoc munus parat.
Vtinam liceret stipite ingesto impiam
Effringere animam, quale Amazonium malum
Circa niualis Caucasi domui latus.
O clara Megara, tú ne, cum furerem, mihi
Coniunx fuisti? stipitem, atq; arcus date.
Dextra inquinetur, laudibus maculam imprimam:
Summus legatur fœmina Herculeus labor.
HYL. Compesce diras genitor irarum minas.
Habet, peractum est, quas petis pœnas, dedit.
Sua perempta dextera mater iacet.
HER. Cæci dolores, manibus irati Herculis
Occidere meruit: perdidit comitem Lycas.
Sæuire in ipsum corpus exanime impetus,
Atq; ira cogit, cur minis nostris caret?
Ipsum cadauer pabulum accipiant feræ.
HYL. Plus misera læso doluit, huic aliquid quoq;
Detrahere uelles, occidit dextra sua
Tuo dolore, plura, quàm poscis, tulit.
Sed non cruentæ sceleribus nuptæ iaces,
Nec fraude matris, Nessus hos struxit dolos,
Ictus sagittis qui tuis uitam expulit.
Cruore tincta est palla semiferi pater,
Nessusq; nunc has exigit pœnas sibi.

HER. Habet, peractum est, fata se nostra explicant.
Lux ista summa est, quercus hanc sortem mihi
Fatidica quondam dederat, & Parnasio
Cirrhea quatiens templa mugitu nemus.
Dextra perempti uictor Alcide uiri
Olim iacebis: hic tibi emenso freta,
Terrasq;, & umbras, finis extremus datur.
Nil querimur ultra, decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculis uictor foret.
Nunc mors legatur, clara, memoranda, inclyta,
Me digna prorsus, nobilem hunc faciam diem.
Cædatur omnis sylua, & Oetheum nemus
Suscipiat ignis, Herculem accipiat rogus.
Sed ante mortem tu genus Pœantium
Hoc triste nobis iuuenis officium appara.
Herculea totum flamma succendat diem.
Ad te preces nunc Hylle supremas fero.
Est clara, captas inter incultas genus
Regumq; referens, Euryto uirgo edita
Iole, tuis hanc facibus, & flammis para,
Victor cruentus abstuli patrio à lare,
Nihilq; miseræ præter Alciden dedi.
Et iste rapitur: penset ærumnas suas,
Iouis nepotem foueat, & natum Herculis.
Tibi illa pariat quicquid ex nobis habet.

Tu&

Tuq; ipsa planctus pone funebres, precor.
O clara genitrix, uiuet Alcides tuus.
Virtute nostra pellicem feci tuam
Credi nouercam: siue nascente Hercule
Nox illa certa est, siue mortalis meus
Pater est, licet sit falsa progenies mihi.
Materna culpa cesset, & crimen Iouis.
Merui parentem, contuli cœlo decus.
Natura me concepit in laudes Iouis.
Quin ipse quoq; Iuppiter credi meus
Pater esse gaudet: parce iam lachrymis meis.
Superba ma[illegible] inter Argolicas eris.
Quid tale Iuno peperit ætherium gerens
Sceptrum, & tonanti nupta? mortali tamen
Cœlum tenens inuidit, Alciden suum
Dici esse uoluit: perage nunc Titan uices
Solus relictus, ille, qui uester comes
Vbiq; fueram, tartara, & manes peto.
Hanc tamen ad imos perferam laudem inclytam,
Quod nulla pestis uicit Alciden palàm,
Omnemq; pestem uicit Alcides palàm.

CHORVS.

Sapphicum carmen.

O Decus mundi radiate Titan,
Cuius ad primos Hecate uapores

Lassa nocturnæ leua ora bigæ,
Dic sub aurora positis Sabæis,
Dic sub occasu positis Iberis,
Quiq; feruentem patiuntur axem,
Quiq; sub plaustro patiuntur Vrsæ,
Dic ad æternos properare manes
Herculem, & regnum canis inquieti.
Vnde non unquam remeauit ullus.
Sume, quos nubes radios sequantur.
Pallidus mœstas speculare terras,
Et caput turpes nebulæ pererrent.
Quando, prò Titan, ubi, quoue summe
Herculem in terris alium sequeris?
Quas manus orbis miser inuocabis.
Si qua sub terra numerosa pestis
Sparget intentam rabiem draconis?
Arcadum si quis populi uetusti
Fecerit syluas aper inquietas,
Thraciæ si quis Rhodopes alumnus
Durior terris Helices niuosæ
Sparget humano stabulum cruore?
Quis dabit pacem populo timenti,
Si quid irati superi per urbes
Iusserint nasci? iacet omnibus par,
Quem parem tellus genuit tonanti?

Planctus

Planctus immensas resonet per urbes,
Et comas nullo cohibente nodo,
Fœmina exertos feriat lacertos.
Solaq; obductis foribus deorum,
Templa securæ pateant nouercæ.
Vadis ad Lethen, Stygiumq; littus,
Vnde te nullæ referent carinæ.
Vadis ad manes miserandus, unde
Morte deuicta tuleras triumphum.
Vmbra nudatis uenies lacertis,
Languido uultu, trepidoq; collo.
Teq; non solum feret illa puppis.
Non tamen uiles eris inter umbras,
Aeacumq; inter, geminosq; Cretas,
Fata discernens, fieri tyranni
Parcite ô dites, inhibete dextras.
Laudis est purum tenuisse ferrum,
Dumq; regnabas minimum cruentis
In tuas urbes licuisse factis,
Sed locum uirtus habet inter astra,
Sedis Arctoæ spatium tenebis?
An grauis Titan ubi promit æstus?
An sub occasu tepido nitebis?
Vnde commisso resonare ponto
Audies Calpen, loca quæ sereni

Deprimes cœli? quis erit recepto
Tutus Alcide locus inter astra?
Horrido tantum procul à Leone
Det pater sedes, calidoq́; Cancro,
Ne tuo uultu tremefacta leges
Astra conturbent, trepidetq́; Titan.
Vere dum flores uenient tepenti,
Et comam syluis hyemes recident,
Vel comam syluis reuocabit æstas,
Pomaq́; autumno fugiente cedent,
Nulla te terris rapiet uetustas.
Tu comes Phœbo, comes ibis astris.
Ante nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit unda,
Ante discedet glacialis Vrsæ
Sydus, & ponto uetito fruetur,
Quàm tuas laudes populi quiescant.
Te pater rerum miseri precamur,
Nulla nascatur fera, nulla pestis,
Non duces sæuos miseranda tellus
Habeat, nec ulla dominetur aula.
Qui potest solum decus esse regni,
Semper intensum tenuisse ferrum,
Siquid in terris iterum timetur,
Vindicem terræ petimus relictæ.

En quid hoc? mundus ſonat, ecce mœret,
Mœret Alcide pater, an deorum
*Clamor an uox eſt * timidæ nouercæ?* * tumidæ
Hercule an uiſo fugit aſtra Iuno?
Laſsus an pondus titubauit Atlas?
An magis diri tremuere manes
Herculem, & uiſum canis inferorum
Fugit abruptis trepidus catenis?
Fallimur: læto uenit ecce uultu
Quem tulit Pœas, humeriſq; tela
Geſtat, & notas populis pharetras
Herculis h[illegible]es.

ACTVS QVINTVS.

Trimetri Iambici.

NVTRIX. PHILOCTETES.

EFfare caſus iuuenis Herculeos precor,
Vultuq; quonam tulerit Alcides necem.
PH. *Quo nemo uitam.* NVT. *Lætus adeóne ultimos*
Inuaſit ignes. PH. *Eſſe iam flammas nihil*
Oſtendit ille, qui ſub occaſu Hercules
Virtute uinci docuit indomita omnia.
NVT. *Inter uapores quis fuit forti locus?*

PH. Quod unum in orbe uenerat nondum malum
Et flamma uicta est, hæc quoq; accessit feris.
Inter labores ignis Herculeos abit.
NVT. Ediscere agedum, flamma quo uicta est modo.
PH. Vt omnis Oethen mœsta corripuit manus,
Hinc fagus umbras perdit, & tota iacet
Succisa trunco, flexit hinc pinum ferox
Astris minantem, & nube de media uocat.
Ruitura cautes mouit, & syluam trahit
Secum minorem, Chaonis quondam loquax
Stat lata uasti quercus, & Phœbum uetat
Vltraq; totos porrigit ramos nemus.
Gemit illa multo uulnere impresso minax,
Frangitq; cuneos, resilit excussus chalybs,
Vulnusq; ferrum patitur, & truncum fugit.
Commota tandem est, tunc cadens lenta mora
Duxit ruinam, protinus radios locus
Admisit omnes, sedibus pulsæ suis
Volucres pererrant nemore succiso diem,
Quæruntq; lassis garrulæ pinnis nemus.
Iamq; omnis amnis arbor sonuit, & sacræ quoq;
Sensere quercus horridam ferro manum,
Nulliq; priscum profugit ligno nemus.
Aggeritur omnis sylua, & alternæ trabes
In astra tollunt Herculi augustum rogum.

Rapit

Rapit alta flammas pinus, & robur tenax,
Et breuior ilex: ſylua contexit pyram,
Populea ſylua frondis Herculeæ nemus.
At ille, ut ingens nemore ſub Naſamonio
Aeger reclini pectore admugit Leo,
Fertur, quis illum credat ad flammas rapi?
Vultus petentis aſtra, non ignes erant.
Vt preßit Oethan, ac ſuis oculis rogum
Luſtrauit, omnes fregit impoſiturus trabes.
Arcumq́; poſcit, accipe hæc inquit ſate
Pœante do[illegible] & munus Alcide cape.
Has Hydra ſenſit, hijs iacent Stymphalides,
Et quicquid aliud eminus uici malum.
Victure felix, has enim nunquam irritas
Mittes in hoſtes: ſiue de media uoles
Auferre uolucres nube: deſcendent aues,
Et certa prædam tela de cœlo ferent,
Nec fallet unquam dexteram hic arcus tuam.
Librare telum didicit, & certam dare
Fugam ſagittis, ipſa non fallunt iter
Emiſſa neruo tela: tu tantum, precor,
Accommoda ignes, & facem extremam mihi,
Hic nodus, inquit, nulla quem capiet manus,
Mecum per ignem flagret: hoc telum Herculem
Tantum ſequetur: hoc quoq; acciperes, ait,

Si ferre

Si ferre posses: adiuuet domini rogum.
Tum rigida secum spolia nemeæi mali
Arsura poscit, latuit in spolio rogus.
Ingemuit omnis turba, nec lachrymas dolor
Cuiquam remisit, mater in luctum furens
Diduxit auidum pectus, atq; utero tenus
Exerta uastos ubera in planctus ferit,
Superosq́;, & ipsum uocibus pulsans Iouem,
Impleuit omnem uoce fœminea locum.
Deforme letum mater Herculeum facis,
Compesce lachrymas, inquit, introsus dolor
Fœmineus abeat: Iuno cur lætum diem
Te flente ducat? pellicis gaudet suæ
Spectare lachrymas: comprime infirmum iecur
Mater, nefas est ubera, atq; uterum tibi
Laniare, qui me genuit: & dirum fremens,
Quales per urbes duxit Argolicas canem,
Cum uictor Erebi Dite contempto redit
Tremente fato, talis incubuit rogo.
Quis sic triumphans l tus in curru stetit
Victor? quis illo gentibus uultu dedit
Leges tyrannus? quanta pax obitum tulit?
Hæsere lachrymæ, cecidit expulsus dolor
Nobis quoq; ipsis, nemo morituro ingemit.
Iam flere pudor est, ipsa, quam sexus iubet

Mærere, siccis hæsit Alcmenæ genis,
Stetitq; nato penè iam similis parens.
NVT. Nullás ne in astra misit ad superos preces
Arsurus? aut in uota respexit Iouem?
PH. Iacuit sui securus, & cœlum intuens
Quæsiuit oculis, arce an ex aliqua pater
Despiceret illum, tum manus tendens ait:
Quacunq; parte prospicis natum pater,
Iste est pater, quem nocte commissa dies
Quæsiuit unus, si meas laudes canit
Vtrumq; Phœbi littus, & Scythiæ genus,
Et omnis ardens ora quam torret dies:
Si pace tellus plena, si nullæ gemunt
Vrbes, nec aras impias quisquam inquinat,
Si scelera desunt, spiritum admitti hunc precor
In astra, nec me mortis infernæ locus,
Nec mœsta nigri regna conterrent Iouis,
Sed ire ad illos umbra, quos uici, deos
Pater erubesco, nube discussa diem
Pande, ut deorum uultus ardentem Herculem
Spectet: licet tu sydera, & mundum neges,
Vltro pater cōgere: si uoces dolor
Abstulerit ullas, pande tum Stygios lacus,
Et redde fatis, approba natum prius,
Vt dignus astris uidear, hic faciet dies.

Leui

Leue est, quod actum est, Herculem genitor prius,
Inuenit, an damnauit? hoc postq; addidit:
Nouerca cernat, quo feram flammas modo.
Flammas popoſcit, hoc age Alcide comes,
Non ſegnis, inquit. corripe Oetheam facem.
Quid dextra tremuit? num manus pauida impium
Scelus refugit? redde iam pharetras mihi
Ignaue, iners, inermis: est noſtros manus
Quæ tendat arcus, quis ſedet pallor genis?
Animo faces inuade, quo Alciden uides
Vultu iacere, reſpice arſurum miſer.
Rogat ecce iam me genitor, & pandit p[illegible]
Venio pater, uultuq; non idem fuit.
Tremente pinum dextera ardentem impuli.
Refugit ignis, & reluctantur faces,
Et membra uitant: ſed recedentem Hercules
Inſequitur ignem: Caucaſum, aut Pindum, aut Atho
Ardere credas: nullus erupit ſonus:
Tantum ingemiſcit ignis ad durum iecur.
Typhon in illo poſitus immanis rogo
Gemuiſſet ipſe, quiq; conuulſam ſolo
Impoſuit humeris Oſſan Enceladus ferox.
At ille medias inter exurgens faces
Semuſtus, ac laniatus, intrepidus, rubens,
Nunc ô parens Herculea, ſic ſtare ad rogum

Te mater

Te mater, inquit, sic decet fleri Herculem?
Inter uapores positus, & flammæ minas
Immotus, inconcussus, in neutrum latus
Correpta flectens membra adhortatur, monet,
Gerit aliquid ardens: omnibus fortem addidit
Animum ministris, urere ardentem putes.
Stupet omne uulgus, uix habent flammæ fidem,
Tam placida frons est, tanta maiestas uiro.
Nec properat uri: cumq; iam forti datum
Leto satis pensauit, igniferas trabes
Hinc inde traxit, nimia quas flamma occupat,
Totasq; in i[illegible]m uertit, & qua plurimus
Exundat ignis, recipit intrepidus, ferox.
Nunc ora flammis implet: ast illi graues
Luxere barbæ: cumq; iam uultum minax
Appeteret ignis, lamberent flammæ caput,
Non pressit oculos: sed quid hoc? mæstam intuor
Sinu gerentem reliquias magni Herculis.
Crinemq; iactans squalidum Alcmenæ gemit.

ALCMENA. PHILOCTETES.

Trimetri Iambici.

TImete superi fata, tam paruus cinis
Herculeus est, huc ille decreuit gigas.
O quanta Titan in nihil moles abit?

Anilis

Anilis, heu me, cepit Alciden sinus.
Hic tumulus illi est: ecce uix totam Hercules
Compleuit urnam: quàm leue est pondus mihi,
Cui totus æther pondus incubuit leue.
Ad Tartara olim, regnaq́; ô nate ultima
Rediturus ibas, quando ab inferna Styge
Remeabis iterum, non uti spolium trahas,
Rursumq́; Theseus debeat lucem tibi,
Sed quando solus? ignis impositus tuas
Compescet umbras, teq́; tartareus canis
Inhibere poterit, quando Tænareas fores
Pulsabis? ah quas mater ad fauces agar?
Qua mors aditur? uadis ad manes iter
Habiturus unum: quid diem questu tero?
Quid misera duras uita? quid lucem hanc tenes?
Quem parere rursus Herculem possum Ioui?
Quis me parentem natus Alcmenam suam
Tantus uocabit? ô nimis felix, nimis
Thebane coniunx, Tartari intrasti loca
Florente nato, teq́; uenientem inferi
Timuere forsan, quod pater tantum Herculis
Vel falsus aderas: quas petam terras anus
Inuisa seuis regibus? siquis tamen
Rex est relictus sæuus, hei miseræ mihi:
Quicunq; cæsos ingemunt nati patres

Ame

A me petent supplicia: me cuncti obruent,
Si quis minor Busiris, aut si quis minor
Antæus: urbes perfidæ terrent plagæ,
Ego præda ducar: si quis Ismarios greges
Thracis cruenti uindicas, carpent greges
Mea membra diri: forsitan pœnas petet
Irata Iuno, totus uretur dolor.
Secura uicto tandem ab Alcide uacat.
Pellex superSum supplicia de qua exigat.
Ne parere possem fecit hic natus mihi
Iterum timendum: quæ petam Alcmenæ loca?
Quis me locus? quæ regio? quæ mundi plaga
Defendet? aut quas mater in latebras agar?
Vbiq; certe nota: si patriam petam,
Laresq; miseros, Argos Eurystheus tenet.
Orbata Thebas, regnum & Hismenum petam,
Thalamosq; nostros, in quibus quondam Iouem
Dilecta uidi? prò nimis felix, nimis,
Si fulminantem & ipsa sensissem Iouem,
Vtinam meis uisceribus Alcides foret
Exectus infans, nunc datum est miseræ, datum
Videre natum laude certantem Ioui:
Et hoc daretur scire, quod fatum mihi
Eripere posset, quis memor uiuet tui
O nate populus? omne iam ingratum est genus.

265

Petam Cleonas? Arcadum an populos petam?
Meritisq; terram nobilem quæram tuis?
Hic dira serpens cecidit, hic ales fera,
Hic rex cruentus, hic tua fractus manu,
Qui te sepulto poßidet cœlum Leo.
Si grata terra est, populus Alcmenam tuam
Defendat omnis: Thracias gentes petam,
Hebriq; populos? hæc quoq; est meritis tuis
Defensa tellus, stabula cum regno iacent.
Hic pax cruento rege prostrato data est,
Vbi enim negata? quod tibi infelix anus
Quæram sepulchrum? de tuis totus rogis
Contendat orbis: reliquias magni Herculis
Quis populus, aut quæ templa, quæ gentes colent?
Quis iam petet, quis poscet Alcmenes onus?
Quæ tibi sepulchra nate, quis tumulus sat est?
Hic totus orbis fama erit tumulus tibi.
Quid anime trepidas? Herculis cineres tene,
Complectere ossa, reliquiæ auxilium dabunt,
Erunt satis præsidia, terrebunt tuæ
Reges uel umbræ. PHI. *Debitos nato quidem*
Compesce fletus mater Alcmene inclyti.
Non est gemendus, nec graui urgendus nece,
Virtute quisquis abstulit fatis iter.
Aeterna uirtus Herculem fleri uetat,

Fortes

Fortes uetat mœrere, degeneres iubet.
AL. Sedabo questus? uindicem amisi parens
Terræ atq; pelagi, quaq; purpureus dies
Vtrunq; clara spectat oceanum rota.
Quot misera in uno condidi natos parens?
Regno carebam, regna sed poteram dare.
Vna inter omnes terra quas matres gerit,
Votis pepercit, nil ego à superis petij
Incolume nato: quid dare Herculeus mihi
Non poterat ardor? quis deus quicquam mihi
Negare p[illegible]rat? uota in hac fuerant manu:
Quicquid negaret Iuppiter, daret Hercules.
Quid tale genitrix ulla mortalis tulit?
Defleuit aliqua mater, & toto stetit
Succisa fœtu, bisq; septenos greges
Deplanxit una, gregibus æquari meus
Quot ille poterat? matribus miseris adhuc
Exemplar ingens deerat, Alcmene dabit.
Cessate matres, pertinax siquas dolor
Adhuc iubet lugere, quas luctus grauis
In saxa uertit, cedite hijs cunctæ malis.
Agédum, senile pectus ô miseræ manus
Pulsate: & una funeri tanto sat est,
Grandæua anus defecta? quod totus breui
Iam quæret orbis, expedi in planctus tamen

266

Defessa quanquam brachia, ut inuidiam deis
Lugendo facias, aduoca in planctum genus.

ALCMENA SOLA.

Anapæstici.

FLete Alcmenen, magniq; Iouis
Plangite natum, cui concepto
Lux una perit, noctesq; duas
Contulit Eos: ipsa quiddam
Plus luce perit: totæ pariter
Plangite gentes, quarum sæuos
Ille tyrannos iussit stygias
Penetrare domos, populisq; mandens
Ponere ferrum: fletum meritis
Reddite tantis, totus, totus
Personet orbis: fleat Alciden
Cærula Crete: magno tellus
Clara tonante, centum populi
Brachia pulsent: nunc Curetes,
Nunc Corybantes arma idæa
Quassate manu: armis illum
Lugere decet, nunc nunc funus
Plangite uerum: Iacet Alcides
Non minor ipso Creta tonante:
Flete Herculeos Arcades obitus,

Nondum

Nondum Phœbo naſcente genus.
Et iuga Spartes Nemeæq́; ſonent,
Feriatq́; graueis Mænala planctus.
Poſcite magno Alciden gemitu,
Stratus ueſtris ſetiger oris.
Alesq́; ſequi iuſſa ſagittas,
Totum pinnis uelata diem.
Flete Argolici, ſlete Cleonæ,
Hic terrentem mœnia quondam
Veſtra Leonem fregit noſtri
Dextera natis: date Sithoniæ
Verbera matres, gelidusq́; ſonet
Planctibus Hebrus, ſlete Alciden,
Quod non ſtabulis ueſcitur infans,
Nec ueſtra greges uiſcera carpunt.
Fleat Antæo libera tellus,
Et rapta fero plaga Geryone.
Mecum miſeræ plangite gentes.
Audiat ictus utraq; Tethys.
Vos quoq; mundi turba citati
Flete Herculeos numina caſus.
Veſtrum Alcides ceruice meus
Mundum ſuperi cœlumq; tulit.
Cum ſtelligeri uector olympi,
Pondere liber ſpirauit Atlas.

Vbi nunc nostræ Iuppiter arces?
Vbi promißi regia mundi?
Nempe Alcides mortalis obit.
Nempe sepultus, quoties telis
Facibusq́; tuis ille pepercit?
Quoties ignis spargendus erat?
In me saltem iaculare facem,
Semelemq́; puta.
Idm ne Elysias ô nate domus,
Iam littus habes, ad quod populos
Natura uocat? an post raptum
Styx atra canem præclusit iter,
Teq́; in primo limine Ditis
Monstra morantur? quis nunc umbras
Nate tumultus, manesq́; tenet?
Fugit abducta nauita cymba?
Et centauris Thessala motis
Ferit attonitos ungula manes?
Anguesq́; suos Hydra sub undis
Territa mersit? teq́; labores
O nate timent?
Fallor, fallor uesana parens.
Nec te manes, umbræq́; timent.
Non Argolico rapta Leoni
Fulua pellis contecta iuba

Leuos operit dura lacertos,
Vallantq; feri tempora dentes.
Donum pharetræ cessere tuæ,
Telaq; mittet iam dextra minor?
Vadis inermis nate per umbras,
Ad quas semper mansurus eris.

HERCVLES. ALCMENA.

Trimetri Iambici partim.

QVid me tenentem regna syderei poli,
Cæloq; tandem redditum planctu iubes
Sentire fatum? parce, nam uirtus mihi
In astra, & ipsos fecit ad superos iter.
AL. Vnde sonus trepidas aures ferit?
Vnde meas inhibet lachrymas fragor?
Agnosco, agnosco, uictum est chaos.
A Styge nate redis iterum mihi:
Fractaq; non semel est mors horrida.
Vicisti rursus noctis loca,
Puppis & infernæ uada tristia.
Peruius est Acheron iam languidus,
Et remeare licet soli tibi.
Nec te fata tenent post funera.
An tibi præclusit Pluton iter,
Et pauidus regni metuit sibi,

Certe ego te uidi flagrantibus
Impositum syluis, cum pluribus
In cœlum furerent flammæ minis.
Arsisti certe, uerum ultima
Non tenuere tuas umbras loca.
Quid timuere tui manes precor?
Vmbra quoq; est Diti nimis horrida
HER. Non me rigentis stagna Cocyti tenent,
Non puppis umbras furua transuexit meas,
Iam parce mater questibus, manes semel,
Vmbrasq; uidi: quicquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis inuictus tulit:
Paterna cœlo pars data est, flammis tua.
Proinde planctus pone, quos nato pater,
Genitrix inerti: luctus in turpes eas?
Virtus in astra tendit, in mortem timor:
Præsens ab astris mater Alcides cano:
Pœnas cruentus iam tibi Eurystheus dabit:
Curru superbum uecta transcendes caput.
Me iam decet subire cœlestem plagam.
Inferna uinco rursus Alcides loca.
AL. Mane parumper, cessit, ex oculis abit,
In astra fertur: fallor, an uultus putat
Vidisse natum? misera mens incredula est,
Es numen, & te mundus æternus tenet.

Credo

Credo triumphis, regna Thebarum petam,
Nouumq́; templis additum numen canam.

CHORVS.

Anapæstici.

NVnquam stygias fertur ad umbras
Inclyta uirtus: uiuite fortes,
Nec lethæos sæua per amnes
Vos fata trahent: sed cum summas
Exiget horas consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet.
Sed tu domitor magne ferarum,
Orbisq́; simul pacator ades,
Nunc quoq; nostras respice terras:
Et si qua nouo bellua uultu
Quatiet populos terrore graui,
Tu fulminibus frange trisulcis,
Fortius ipso genitore tuo
Fulmina mittens.

FINIS.

BASILEAE EXCVDEBAT
HENRICVS PETRVS,
MENSE MAR-
TIO, ANNO
M. D. XLI.



270





...abunt do...
...ea misericordia...
... domi...
...m obsecr...
...in do...
...fer anz...
...omnis prin...
...ent omnes...
... mea Al...
...pi Anim...
...ia venim...
...ear exsp...
...mo regia...
...ta pasion...
...quiaz refe...
...ear omnia...
... iustitie...
...et si ambu...
...tis no m...
...s Virg...
...consolatur...

1.5.K.5.1

1.M.A

1.K

Anno domini 1551
circiter Bartholomei feria 6
domo egressus sum.

25 t.

